DE FABULIS AD IPHIGENIAM PERTINENTIBUS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE ALBERTINA REGIMONTANA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE VII MENSIS JULII A. MDCCCLXXXVIII

HORA XII

UNA CUM THESIBUS ADIECTIS

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

MAXIMILIANUS JACOBSON

GR. POTAVERNENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

CAROLUS FROBEEN, DR. PHIL.

GUSTAVUS WOLTER, CAND. D. H. SCH.-A.

REGIMONTI.

EX OFFICINA HARTUNGIANA.

LUDOVICO FRIEDLAENDER
GUSTAVO HIRSCHFELD

PIO GRATOQUE ANIMO.

ἡμεῖς δὲ κλέος οἶον ἀκούομεν, οὐδέ τι ἴδμεν.
B 486.

Ut omnino res difficilis fabularum ex antiquitate traditarum disiecta et saepissime perpauca membra inter se coniungere et investigare quo tempore et quibus ex elementis unumquodque natum sit, ita haud minime in historia mythica Iphigeniae tractanda. Suo iure Od. Muellerus[1]) notat eam singulari quadam caligine narrationum mysticarum involutam esse; God. Hermannus vero hance fabulam tangens[2]) cum irrisione de „nebulosis mythologiae regionibus" loquitur et alias[3]) non sibi animum esse declarat „in multiplicatis sacris Dianae singula persequi, quae partim inexplicabilia, partim deliramenta mythologorum sunt".

Sed non semper tantopere desperatum est; nam haec ipsa obscuritas multas doctas disputationes excitavit. Quas nunc enumerare non e re videtur; suo quidque loco potius nominabo. Ceterum eorum quae usque ad annum LXXII in lucem prodierunt, bonum conspectum praebet Koechlius.[4]) Spero me etiam ex illis quae postea de hac fabula scripta sunt nihil maioris momenti praetermisisse.

Mihi proposui, ut prisco numine atque cultu Iphigeniae adumbrato disquiram, quemadmodum a Diana magis magisque segregata mox humana natura induta ipsa quoque sacrificium et Agamemnoniae filiae partes subierit; deinde, ubi primum generi Atridarum intexta fuerit, quanta vis fatis eius a poetarum quoque in saeva Pelopis domo attributa sit. Denique artis monumenta et posterioum narrationum varietatem perstringam. Priore igitur parte mythos sive legendas ex populi religione hic illic sua sponte natos percensebimus, posteriore, quae poetae et omnino scriptores hisce fundamentis usi

1) Dor. I 381. cf. etiam Proll. 73 sq.
2) Praef. ad edit. Iphigeniae Tauric. p. XXXIV.
3) Opp. VII 312.
4) Erkl. Ausg. der Iphig. auf Tauris. Berl. Weidm. 1872. Einl., inprimis p. 1—4.

protulerint. Certe talis divisio non acriter sustinenda erit; puto tamen hoc modo originem et conexum singularum rerum quoad fieri potest clarius apparere.

Pars I.

De Iphigeniae fabula ex cultu orta et propagata.

Intellegitur nos hic prorsus fere ad divinationem relegatos esse, cum ex paucis testimoniis fortuito servatis concludere studeamus.

Iphigeniam olim in quibusdam regionibus Graeciae easdem partes explevisse, quas Diana, inde ab Od. Muellero[1]) constat. Postea a Welckero[2]) pluribus expositum est, qualis natura eius fuerit. Quos viros secutus contendo illos cultus Iphigeniae ob eam maxime causam exstitisse, quod matrimonio praeesse et feminarum parientium tutelam habere credebatur.

Sed antea admonere oportebit, a Dianae numine étiam antiquis temporibus tale negotium minime alienum fuisse:[3]) nam ut omnium animalium sic hominum quoque propagationi favebat.[4]) Quodsi apud Homerum nullum vestigium huius facultatis occurrit,[5]) neccesse est respiciamus deos persaepe aliter in cultu apparere, aliter in carmine epico. Ubi non de variis sacris eorum agitur, sed rebus humanis implicati certas personas humanas induunt. Id quod eximie in Diana usu venit. Quamvis illa a poetis vel poetico ingenio populi ad Apollinis speciem conformata sit, nihilominus singuli cultus eius certis locis vigentes tam multi atque diversi[6]) intacti duraverunt, ut hinc propriae fabulae existerent.

---

1) Dor. I 381 sq.

2) Gr. Götterl. I 400 sq.

3) Cf. O. Mueller Dor. I 372 sq. Welcker Gr. Götterl. I 575 II 401, Kl. Schr. II 202 sq. Preller Gr. Myth. I 4 310 et novissime E. Curtius Sitzber. d. Berl. Ak. 1887. LIII p. 1167 sq.

4) Cf. A. Claus De Dianae antiquissima ap. Graec. natura. Vratisl. 1881 p. 70 sq.

5) Sagittae feminis letiferae non cum H. Roschero (Stud. II 20) illuc referendae sunt.

6) Cf. conspectum eorum ap. Gerhardium Gr. M. § 328—46 obvium.

A veteribus ipsis traditum est Iphigeniam olim cognomen Dianae fuisse.[1]) Non dubito quin *Ἰφιγένεια* ad natum pertineat et eam deam significet, quae non modo ipsa forti natu itaque potens est,[2]) sed etiam feminis mortalibus forte i. e felix puerperium praestat.[3]) Obiter commemoraverim Cereris appellationem *Καλλιγένεια* ex qua postea ministra vel filia eius facta est.[4]) Sed hanc cum Iphigenia comparanti[5]) et apud Hesychium loco dubio[6]) legenti: *ἰφίν· καλήν* vix aliquid concludere licebit, praesertim cum illud munus Cereris recentiore demum tempore excultum sit. In eandem comparationem incidisse video Usenerum.[7])

Iam hic afferendum puto apud Anton. Liber. c. 27 Iphigeniae insulam Leucen habitanti cognomen *Ὀρσιλοχία* inditum esse[8]) et apud Amm. Marc. XXII 34 Dianam Tauricam ipsam Orsilochen vocari. Apparet id ad eam deam spectare, quae partum promovet.[9])

Ut permulta in Dianae religione ad vetustissima tempora relegant[10]), sic etiam quae de cultu Iphigeniae traduntur. Qualis ille fuerit potissimum adhuc de Braurone intellegere licet itaque hunc locum primum tractabo praecipue iis usus quae Suchierus protulit.[11])

In exitu Iphig. Tauricae Minerva Iphigeniae haec vaticinatur vs. 1430 sq. (Kchhff.):

σὲ δ' ἀμφὶ σεμνάς, Ἰφιγένεια, κλίμακας
Βραυρωνίας δεῖ τῆσδε κληδουχεῖν θεᾶς·
οὗ καὶ τεθάψει κατθανοῦσα καὶ πέπλων
ἄγαλμά σοι θήσουσιν εὐπήνους ὑφάς,

---

1) Cf. Hesych. s. v. *Ἰφιγένεια· ἡ Ἄρτεμις*. Pausan. II 35: *Ἀρτέμιδος ἐπίκλησιν Ἰφιγενείας*.

2) Cf. Welcker Gr. Götterl. II 402.

3) Koechlius l. c. p. 11 vertit: Die Geburtsmächtige. cf. etiam Schreiber in Roscheri Lexic. myth. p. 573.

4) Cf. Preller Gr. Myth. I ³640.

5) De Dianae coniunctione cum Cerere cf. Claus l. c. p. 50 sq.

6) Cf. M. Schmidt ad h. l.

7) Rh. Mus. XXIII 360.

8) Nam sic certe scribendum. cf. Welcker Gr. Götterl. II 401,96. vel potius cum O. Schneidero Nicand. p. 65 *Ὀρσιλόχεια*, non *Ὀρειλόχεια* quod C. Neumannus D. Hellen. im Skythenl. I 428 de numine montis accepit. Compositio huius vocis plane originem Graecam ostendit. cf. Fick Gr. Personennam. 124.

9) Cf. Dianae epitheta *λοχεία, εὔλοχος* Preller Gr. M. I ⁴319.

10) Cf. Curtius l. c. 1170.

11) De Diana Brauronia. Marb. 1847.

ἃς ἂν γυναῖκες ἐν τόκοις ψυχορραγεῖς
λείπωσ' ἐν οἴκοις.

Oresti autem vs. 1425 sq. mandatum est, ut simulacro Taurico Halas Araphaenidas deportato ibi huiusce caerimoniae auctor fiat:

. . . . . ὅταν ἑορτάζῃ λεώς,
τῆς σῆς σφαγῆς ἄποιν' ἐπισχέτω ξίφος
δέρῃ πρὸς ἀνδρὸς αἷμά τ' ἐξανιέτω
ὁσίας ἕκατι θεά θ' ὅπως τιμὰς ἔχῃ.

Certe non Orestis culpa propria causa istius ritus fuit, qui una cum Brauronio tractari debet. Nam his duobus locis simile numen vindicandum esse, iam a Suchiero p. 8. 21. 59 iure monitum est.[1])

Maximae gravitatis ad originem fabulae nostrae investigandam sunt quae de memorabili caerimonia Brauroniorum ἄρκτευσις appellata audimus. E locis veterum huc pertinentibus[2]) nonnulla in meum usum affero. In Anecd. Bekk. 444, 34 narratur quondam ursa in Piraeo per scelus occisa pestem coortam esse; ad illam placandam deum Delphicum iussisse: τιμᾶν τὴν Ἄρτεμιν καὶ θῦσαι κόρην[3]) τῇ ἄρκτῳ. Atheniensibus iam hanc crudelitatem patraturis civem quendam tale remedium invenisse: ἔχων αἶγα καὶ ὀνομάζων ταύτην θυγατέρα ἔθυσε λάθρᾳ καὶ ἐπαύσατο τὸ πάθος . . . . καὶ ἀπὸ τούτου αἱ κόραι πρὸ τοῦ γάμου ἀρκτεύειν οὐκ ὤκνουν ὥσπερ ἀφοσιούμεναι τὰ τοῦ θηρίου.

Idem fere, si rem spectamus, ceteris illis locis traditur, quos omnes ad veterem aliquem rerum Atticarum scriptorem recurrere admodum verisimile est. Apparet hoc inventum esse ad nomen ἄρκτευσις explicandum. Quamvis obscurae sint illae virgines ἄρκτοι appellatae, id semper redit eas cum rebus nuptialibus aliquo modo coniunctas fuisse.[4])

---

1) Cf. etiam Ross. Arch. Aufs. I 228 sq. et Koechly l. c. p. 17.

2) Plenissime ap. Suchierum p. 26—30 compositis.

3) Koechlius p. 11 inserendum putat: ἀντίποινον, quod non necessarium videtur.

4) Cf. etiam Suid. s. v. ἀρκτευόμεναι γυναῖκες ἀπομειλισσόμεναι τὴν θεόν . . . . ἐψηφίσαντο οἱ Ἀθηναῖοι, μὴ πρότερον συνοικίζεσθαι ἀνδρὶ παρθένον, εἰ μὴ ἀρκτεύσειε τῇ θεῷ. Harp. s. v. ἀρκτεῦσαι . . . . τὸ καθιερωθῆναι πρὸ γάμων τὰς παρθένους. Alia ap. Suchierum l. c.

Varias suspiciones hominum doctorum de voce ἄρκτοι habes apud Prellerum Gr. M. I⁴ 312,2. 315,1. Maximam veri speciem

Proprias causas harum caerimoniarum mihi quaerenti aliquanto altius repetere liceat. Ut in plurimarum gentium religione apud Graecos quoque nonnulla numina ita finguntur, ut sint propitia eademque perniciosa. Quod praecipue usu venit si de terrae pecoris hominum fecunditate agitur, quippe quae totius vitae fundamentum sit ita ut male cedenti nihil nisi ira divina subesse posse videatur. Ad illam autem tutandam antiquissimis temporibus apud haud unum populum ab hominis mactatione non deterritum esse, nunc magis magisque cognoscimus.[1])

Sic etiam illa Diana Brauronia, quam olim Iphigeniam ipsam fuisse mox comprobare studebo, non modo parientibus favebat, sed simul cum puerperium infelix haud raro mortem afferat pestifera[2]) putabatur.

habet Lobeckii sententia (Aglaoph. I 74) vocem ἀρχεσθαι subesse et puellas illas Dianae initiatas fuisse. Iure novissime etiam O. Kellerus Thiere des klass. Alterth. in ihrer kulturg. Bez. 1887. p. 110. hanc derivationem accepit. Omnia enim hic ostendunt priscum quendam morem cum singulari diligentia retentum et praecipue illis virginibus felicitatem coniugialem speratam esse. Koechlius p. 10 bene monuit ob hanc causam vestem croceam usitatam fuisse (cf. e. g. schol. ad Aristoph. Lys. 645: ἡ Ἄρτεμις . . . ἐκέλευε παρθένον . . . περιέπειν τὸ ἱερὸν κροκωτὸν φοροῦσαν). Contra admodum mirum est quod Gerhard Gr. M. § 340,4 excogitavit: Auch ist mit Bezug auf die goldlichte Färbung Apollos das Saffrangewand Iphigeneias und der brauronischen Mädchen zu erwähnen. Kellerus l. c. p. 111 huc lunae colorem comparavit; cui sententiae faveat quod dea Brauronia sine dubio aliquam necessitudinem cum luna habuit.

Doleo me de veste crocea in nuptiis adhibita nihil certi invenisse neque in Hermanni antt. graec. IV [3] 189 neque in lexico a Daremberg et Saglio edito s v. crocota. Forte occurrit Antipatri epigramma A. Pal. VII 711: ἤδη μὲν κροκόεις Πιταναίτιδι πίτνατο νύμφᾳ . . . . παστὸς ἔσω θαλάμου. Id quoque notandum puto in Thesmophoriis quae ad matrimonium spectare constat feminas vestibus croceis indutas fuisse et sic quodammodo nuptias suas instaurasse (cf. inprimis Aristoph. Thesm. 253. 945 et quae huc Fritschius attulit).

Forte analogiam praebet quod virgines Vestales, quae ut puellae Brauroniae intra quintum et decimum annum sacerdotium inibant, ornatu suo matrimonium indicabant. De vittis et maxime sex crinibus earum cf. Jordan Der Tempel der Vesta und das Haus der Vestalinnen. 1886. p. 48 sq. 60 sq.

Omnia de ursa sine dubio ex transformatione vocabuli ἄρκτοι postea demum ficta sunt.

1) Cf. de hac tota quaestione Mannhardt Myth. Forsch. a. d. Nachl. 1884. p. 137 sq. 178 sq.

2) Huc faciunt illae vestes „ἐν τόκοις ψυχορραγεῖ“ I. Tauric.

Ubi scilicet admodum prisca aetate re vera virginis mactationem — illa enim res pretiosissima videbatur — piaculum fuisse, testimonia de ritu Brauronio servata adhuc satis indicant. Omnino autem hominum sacrificia primordiis Graecorum non abiudicanda erunt, quamvis docte nuperrime a Stengelio Annal. phil. CXXVII 361 sq. in alteram partem disputatum sit[1]). In Dianae vero cultu ut numinis admodum vetusti hic illic vestigia crudelium sacrorum exstant[2]). Quae humanitate magis exculta ita abolita sunt, ut variis modis memoria eorum retineretur. Sic etiam caerimoniam Brauroniam[3]) in locum humanarum victimarum successisse Suchierus p. 33 recte notavit. Huc igitur vox *δεκατεύειν* referendum erit, non ad aetatem puellarum ut grammatici voluerunt. Valde memorabile videtur quod in hac narratione non semel legimus proprium patrem filiam suam[4]) illo dolo servasse. Amplius de historia huius cultus apud mulieres atticas ad tantam auctoritatem provecti, ut postea etiam in arcem Athenarum[5]) transferretur, disserere

1434. cf. etiam quae ap. Pausan. VIII 23, 6 de Diana Condyleae culta traduntur et omnino de perniciosa natura Dianae Claus cap. IX.

1) Satis multa exempla in iis praesto sunt quae Hermannus antt. graec. II² § 27 collegit: inprimis mos in Athamantis familia vulgatus, ut filius primogenitus a patre ipso mactetur huc comparandus erit. cf. Stein ad Herod. VII 197. Nonnulla alia nobis p. II fabulam Aulidensem tractantibus addenda erunt.

2) Cf. Claus p. 36 sq. et Robertum ap. Prellerum Gr. M. I⁴ 296, 2 vel nomen *Ἄρτεμις* a mactatione derivantem; admonitus sum id etiam cum origine Persica bene consociari posse.

3) Forte vocabulo *ἀρκτοί* etiam subest illas virgines primitias fuisse Dianae oblatas. Notus est vocis *(ἀπ)άρχεσθαι* in sacrificiis usus: *ἀπαρχαὶ ἀνθρώπων* ex Graecorum quoque cultu traduntur. cf. Hermann antt. graec. II § 20, 17.

4) Cf. e. g. locum ex Bekk. Anecd. 444,34 allatum. Certam personam hic pater iam in iis accepit quae apud Suid. traduntur s. v. *Ἔμβαρός εἰμι . . . τὴν ἀπαλλαγὴν ὁ θεὸς ἔχρησεν, ἄν τις τὴν θυγατέρα θύσῃ τῇ θεῷ. Ἔμβαρος δὲ μόνος ὑποσχόμενος ἐπὶ τῷ τὴν ἱερωσύνην αὐτοῦ τὸ γένος διὰ βίου ἔχειν διακοσμήσας αὐτοῦ τὴν θυγατέρα αὐτὴν μὲν ἀπέκρυψεν ἐν τῷ ἀδύτῳ* (corr. Kusterus), *αἶγα δέ ἐσθῆτι κοσμήσας ὡς τὴν θυγατέρα ἔθυσεν.* Non obstat si id in sacris Dianae Munichiae factum esse perhibetur: nam deam Brauroniam ab illa non diversam fuisse vel expressis verbis docet schol. ad. Arist. Lysistr. 645 . . *αἱ ἀρκτευόμεναι . . . . συνετέλουν τὴν θυσίαν τῇ Βραυρωνίᾳ Ἀρτέμιδι καὶ τῇ Μουνυχίᾳ* et Harp. s. v. *ἀρκτεῦσαι. . . . τῇ Ἀρτέμιδι τῇ Μουνυχίᾳ ἢ τῇ Βραυρωνίᾳ.*

5) De vestibus ibi a feminis dedicatis cf. Michaelis Parthenon p. 40. 307 (= CIA II 2, 754—64).

non huius loci est. Brauronius autem ritus pluribus tractandus fuit, cum hic fabula nostra ut ita dicam praeformata videatur.

Deam sic cultam olim nullam aliam fuisse quam Iphigeniam ipsam vel veteres expressis verbis docent: cf. schol. ad Arist. Lysistr. 645 *οἱ δὲ τὰ περὶ τὴν Ἰφιγένειαν ἐν Βραυρῶνί φασιν, οὐκ ἐν τῇ Αὐλίδι. Εὐφορίων „ἀγχίαλον Βραυρῶνα, κενήριον Ἰφιγενείης“. δοκεῖ δὲ Ἀγαμέμνων σφαγιάσαι τὴν Ἰφιγένειαν ἐν Βραυρῶνι, οὐκ ἐν Αὐλίδι καὶ ἄρκτον ἀντ' αὐτῆς, οὐκ ἔλαφον φονευθῆναι, ὅθεν μυστήρια ἄγουσιν αὐτῇ.* Ubi Suchierus p. 37 recte monet, *αὐτῇ* de Iphigenia ipsa accipiendum esse.[1]) Itemque ad pristinam divinitatem eius spectant quae Euripides versibus supra exhibitis secundum domesticam religionem tradit.

Nunc autem quaeritur, quomodo nota narratio de sacrificio Iphigeniae ipsius cum hac institutione cohaereat. Certe ubi primum illud epitheton tantopere sui iuris factum est, ut inde propria persona exsisteret, variae fabulae hanc heroicam Iphigeniam cum priscae religionis vestigiis conectere studebant. Facillime autem ob morem Braurone usitatum populi mens huc incidere debuit illam virginem etiamtum singulariter cultam olim Dianae sacerdotem fuisse[2]); mox cum hisce caerimoniis plures causae quaererentur fictum est eam a proprio patre votam[3]) et a numine, cui talis crudelitas iam displiceret, ipso sacrificii momento servatam primam ministram mitioris religionis factam esse.[4]) Braurone defuncta haec virgo immortalitatem

---

1) Cetera quae in hoc scholio proferuntur posterioris originis esse patet.

2) Persaepe sacerdos numinis sui effigies est. cf. Frid. Back De Graecorum caerimoniis, in quibus homines deorum vice fungebantur. Berol. 1883.

3) Huc certe trahendum Iph. Tauric. vs. 20 . . . *ὅτι γὰρ ἐνιαυτὸς τέκοι κάλλιστον, εὔξω φωσφόρῳ θύσειν θεᾷ* et vs. 201 *πρωτογόνου θάλος*, de Iphigenia dictum. Wilamowitzius Herm. XVIII 256 iure id ex traditione Brauronia desumptum censet. Bene quadrat quod *ἀρκτοί* re vera idem valere videntur quod primitiae.

4) Ceterum apud haud unum populum numina primum ipsa cultum suum instituunt; de Graecis res satis nota est. cf. Mannhardt Myth. Forsch. p. 95.

accepisse dicebatur[1]), quoniam divina natura eius adhuc satis valebat. Sed tantopere in formam humanam redacts mox aliis fabulis materiam praebuit. Suchiero igitur non assentior p. 22 putanti Brauronios postea demum, quoniam simulacrum illud e terra Taurica ab Iphigenia apportatum ab eademque omnis illa veneratio condita esse credebatur, ad se antiquam de Iphigenia mactata memoriam transtulisse.

Antequam longius progredimur, oportet circumspiciamus, si quibus aliis locis Graeciae de antiquissima natura Iphigeniae disci possit.

Apud Hermionenses Pausan. II 35, 1 commemorat: *ἱερὸν Ἀρτέμιδος ἐπίκλησιν Ἰφιγενείας*, sed nihil amplius. Non omiserim in proxima vicinitate Troezenios Dianam ob similem facultatem coluisse.[2])

De Aegira apud Pausan. VII 26, 4 haec legimus: *Ἀρτέμιδός τε καὶ ἄγαλμα τέχνης τῆς ἐφ᾽ ἡμῶν· ἱερᾶται δὲ παρθένος, ἔστ᾽ ἂν ἐς ὥραν ἀφίκηται γάμου. ἕστηκε δὲ καὶ ἄγαλμα ἐνταῦθα ἀρχαῖον Ἰφιγένεια ἡ Ἀγαμέμνονος, ὡς οἱ Αἰγειρᾶταί φασιν· εἰ δὲ ἀληθῆ λέγουσιν οὗτοι, δῆλός ἐστιν ἐξ ἀρχῆς Ἰφιγενείᾳ ποιηθεὶς ὁ ναός.* Iure ita Pausanias vel potius qui hoc loco auctor eius fuit. Nam certe Iphigenia hic quoque antiquitus Dianae partes explevit. Quodsi huic deae virginem usque ad aetatem nubilem sacra facere videmus, id forte cum more Brauronio coniunxeris. Quamquam in cultu haud unius dei apud Graecos institutum fuit, ut puer vel puella usque ad pubertatem sacerdotio fungeretur.[3]) Valde dolendum quod Pausanias nihil de specie illius simulacri tradit. Quodsi God. Hermannus autem[4]) — forte deae Tauropolae Halis cultae recordatus — suspicatur eam ut magnam deam stantem super tauro vel tauro

---

1) Etiam versum Euphorionis in schol. ad Aristoph. Lysistr. 645 allatum (cf. supra) = fr. LXXXI Mein. ad Iphigeniam immortalem factam alludere opinor. Suchierus quidem p. 21 eum sic accepit, ut Iphigenia alibi alibi sepulta esse perhiberetur. Iphigeniae sepulcrum Braurone monstratum fuisse, Eurip. quoque I. T. 1430 sq. (cf. supra) docet.

2) *Ἄρτεμις Οὖπις* cui inprimis feminae gravide curae sunt. cf. Preller Gr. M. I[4] 299,2.

3) Cf. exempla illo tempore nota apud Hermannum antt. graec. II[2] § 34,6 et 12.

4) Praef. ad Iph. Taur. p. XXXIV.

insidentem fictam esse, id nimis dubium est, maxime cum haec forma Dianae in propria Graecia non appareat.[1])

Quae de Lemno audimus plane obscura sunt; tamen huic insulae similis religio ut Brauroni vindicanda erit. Hoc etiam inde sequitur, quod veteres eam cum Braurone variis fabulis plerumque ita coniungebant, ut cultum atticum in Lemnum translatum esse declararent.[2])

Diligenti consideratione eget ille locus Pausaniae (I 43, 1) de Iphigenia in Hecaten mutata: *οἶδα δὲ Ἡσίοδον ποιήσαντα ἐν καταλόγῳ γυναικῶν Ἰφιγένειαν οὐκ ἀποθανεῖν, γνώμῃ*[3]) *δε Ἀρτέμιδος Ἑκάτην εἶναι.*

De Hesiodo aliud testimonium exstat apud Philodemum *περ. εὐσεβ.* vol. Herc. II 24 Gomp: *τινὲς δέ φασιν αὐτοῦ* (forte *αὐτῆς*) *καὶ τάφον ἐν . . . . δείκνυσθαι. Στησίχορος δ' ἐν Ὀρεστείᾳ κατακολουθήσας Ἡσιόδῳ τὴν Ἀγαμέμνονος Ἰφιγένειαν εἶναι τὴν Ἑκάτην νῦν ὀνομαζομένην . . . . κατὰ δέ τινας καὶ ἀνθρωπ . . . τάφον . . . .* De difficili scriptura huius loci nihil habeo quod proferam. Apud Bergkium e. g. P. L. III^{4} p. 221 finis sic legitur: *καὶ περὶ . . . . . αιαν τὸν τάφον εἶναι;* alii aliter[4]). Sed id apparere puto hic de Iphigeniae sepulcro dictum fuisse, quale monumentum hominum ad immortalitatem elatorum saepe apud Graecos ostendebatur. Num Iphigenia apud Hesiodum iam sacrificium Aulidense perpessa et omnino num cum Agamemnone coniuncta fuerit, parte II suo loco deliberandum est. Nunc id certe efficitur Iphigeniam a Diana Hecaten factam esse. Minime cum Bergkio l. c. in ea re offendendum puto quod bustum eius commemoratum videtur. Nam haec fabula Iphigeniam heroinam cum pristina sua divinitate conectere studet;[5]) sine dubio Hesiodus eam ex vulgata — forte domestica — traditione recepit. De Hecates origine et natura adhuc quidem in multa caligine versamur. Id tamen constare crediderim, *ἑκάτην* primum Dianam ipsam appellatam fuisse,[6]) deinde hinc quoque

1) Cf. Preller Gr. M. I^{3} 252,1 et I^{4} 313,1.

2) Cf. Koechly l. c. 13. Preller Gr. M. I^{4} 313,1.

3) Haec vox sana videtur ex Hitzigii iudicio benigne communicato. „So schreibt Pausanias, wenigstens im ersten Buch cf. 30,3 u. 40,2.“ Talem usum huius vocabuli non singularem esse etiam loci in Thesauro Stephani s v. allati docent.

4) Cf. Bergkium ad h. l.

5) Cf. etiam versum Euphorionis supra laudatum („κενήριον“).

6) Cf. Preller Gr. M. I^{4} 321.

proprium numen prodiisse, quod cum quibusdam externis deabus maxime septentrionalium gentium permixtum videtur.[1]) Inter facultates huius deae ea satis comprobata est ut humanae propagationi et educationi praesit et omnino quippe lunae moderatrix rem cum feminis habeat.[2]) Quae omnia cum Iphigenia bene concinunt. Ceterum apud Argivos teste Pausania II 22,7 Ilithyiae sacellum post partum Iphigeniae ab Helena dedicatum et Hecates templum iuxta steterunt. Ubi Wilamowitzii coniectura Herm. XVIII 252 prolata id simul Iphigeniae sacrum fuisse, non audacior videtur.

Iphigeniae cultum antiquiore tempore satis valuisse etiam ex hoc loco Herodoti dilucide cognoscitur IV 103: (*Ταῦροι*) *θύουσι μὲν τῇ παρθένῳ τούς τε ναυηγοὺς καὶ τοὺς ἂν λάβωσιν Ἑλλήνων ἐπαναχθέντες*[3]) *τρόπῳ τοιῷδε· καταρξάμενοι ῥοπάλῳ παίουσι τὴν κεφαλήν* . . . . . capite absciso hasce victimas aut de saxo deici aut humari . . . *τὴν δὲ δαίμονα ταύτην, τῇ θύουσι, λέγουσιν αὐτοὶ Ταῦροι Ἰφιγένειαν τήν Ἀγαμέμνονος εἶναι.*[4]) Ubi quidem Scythis ipsis nihil de Iphigenia notum fuisse, a Graecis potius huc navigantibus eam apportatam esse facile intellegitur. Et ex scriptoribus et ex monumentis virginis cuiusdam deae veneratio humanis sacrificiis cultae de Chersoneso Taurica nota est.[5]) Graeci autem cum inde a saeculo octavo[6]) hance regionem viserent, numen illud barbarum[7]) ob similitudinem quandam cum Diana sua plane confundebant, cuius tutelam se hic quoque adiuturam creditum est.[8]) Nec minime iis qui

1) cf. Preller Gr. M. I³ 257.

2) Cf. inprimis Schoemann Opp. II 234 sq. et E. Petersen Arch. ep. Mitth. a Öst. IV 56 sq. Aliter quidem iudicat E. Plew ap. Prellerum Gr. M. I³ 258,3. cf. etiam H. Roscher Stud. Bd. II.

3) Sic forte cum Steinio erkl. Ausg. II³ p. 27 legendum.

4) Hunc locum Pausan. I 43,1 compilavit.

5) Cf. Boeckh ad CIG II p. 90. E. Meyen. De Diana Taurica et Anaitide Berol. 1835. Koehne Beitr. z. Gesch. u. Arch. von Chersonesos in Taurien, inprimis p. 43 sq. C. Neumann D. Hellen. im Skythenl. I 420 sq.

6) Cf. Busolt Gr. Gesch. I 586.

7) Cuius praecipuum domicilium erat promontorium a Graecis Parthenium appellatum. cf. Strab. p. 308: *ἐν δὲ τῇ Χερσονήσῳ τὸ τῆς παρθένου ἱερὸν δαίμονός τινος, ἧς ἐπώνυμος καὶ ἡ ἄκρα . . . καλουμένη Παρθένιον, ἔχον νεὼν τῆς δαίμονος καὶ ξόανον.* Cf. Preller Gr. M. I³ 251,1.

8) Cf. quae de ea re universe exposita sunt ab E. Plewio

Megaris aliisque ex oppidis doricis profecti Heracleam Ponticam, inde Byzantium et Chersonesum condiderunt[1]) hic dea domestica praesens esse debuit forsitan apud nonnullos ut Megarenses[2]) Iphigeniae cognomine appellata. Sed nescio an multo plus in Iphingenia illiic collocanda Atticis tribuendum sit, quos eosdem iam veteribus temporibus huc pervenisse Wilamowitzius Herm. XVIII 255 monet.

Cogitari potest, Iphigeniam ut Hecaten cum aliis quoque deabus terrae septentrionalis societatem iniisse ut cum Thracum dea Tauropola[3]) et Chryse olim Lemni et Samothrace[4]) admodum similiter culta. Necessitu dinem autem harum religionum veteres plerumque postea demum cum similitudines cognoscerent sibi finxerunt itaque quae de re ipsa proferre velis,[5]) plane intra coniecturam manere debebunt.

Certiora semper ea videntur, quae de Graecia ipsa tradita sunt. Ubi quidem etiam de Iphigenia heroicis honoribus fruente aliquantum cognoscere licet.

De **Megaris** apud Pausan. I 43,1 legimus: *λέγουσι δὲ εἶναι καὶ Ἰφιγενείας ἡρῷον· ἀποθανεῖν γὰρ καὶ ταύτην ἐν Μεγάροις. ἐγὼ δὲ ἤκουσα καὶ ἄλλον ἐς Ἰφιγένειαν λόγον ὑπὸ Ἀρκάδων*[6]) *λεγόμενον.* Vix negari poterit Iphigeniam etiam Megaris[7]) olim deae ipsius locum tenuisse. Alia memorabilis narratio paulo post (Pausan.

„Die Griech. in ihr. Verh. zu d. Gottheiten fremder Völker.“ Progr. von Danzig 1876, inprimis p. 3 sq. Coloniae in terras ignotas deductae) omnino mythis fingendis favent. Cf. O. Mueller Proll. 169.

1) Cf. Neumann l. c. I 422 sq.

2) Cf. Pausan. I 43,1, quem locum infra tractabo.

3) Cf. Preller Gr. M. I⁴ 313,1.

4) Cf. O. Mueller Dor. I 384 sq.

5) Boeckh ad CIG II p. 89 hunc cultum in Atticam et maxime ad Lacedaemonios propagatum censet; longissime autem Muellerus Dor. I 384 sq. processit cum omnino Lemni originem fabulae nostrae quaerat.

6) Cum apud Pausaniam nihil de hac traditione Arcadica inveniatur, Wilamowitzius l. c. p. 252,2 suspicatur per neglegentiam *Ἀρκάδων* pro *Ἀργείων* (cf. Paus. I 33,1) positum esse. Sed forte re vera de Iphigenia apud Arcades venerata in Pausaniae fontibus fuit, praesertim cum Arcadia singulari et vetusta religione Dianae insignis esset. cf. Curtius Stud. z. Gesch. der Artemis l. c. p. 1175. Quod Pausanias suo loco intexere oblitus fuerit.

7) Bene quadrat quod Diana hic ut *Σώτειρα* et *Ὀρθωσία* colebatur. cf. Herod. IV 87. 103. CIG 1052 b. 1064. 1444. B. d. corr. Hell. III 196.

I 43,4) de eodem loco invenitur: τὸ δὲ (μνῆμα ἔλεγον) Ἰφινόης, Ἀλκάθου θυγατρός· ἀποθανεῖν δὲ αὐτήν φασιν ἔτι παρθένον. καθέστηκε δὲ ταῖς κόραις χοὰς πρὸς τὸ τῆς Ἰφινόης μνῆμα προσφέρειν πρὸ γάμου καὶ ἀπάρχεσθαι τῶν τριχῶν καθὰ καὶ τῇ Ἑκαέργῃ καὶ Ὤπιδι[1]) αἱ θυγατέρες ποτὲ ἀπεκείροντο αἱ Δηλίων. Hoc cum Iphigenia coniungendum esse iam Welckerus[2]) indicavit. Formam Ἰφινόη idem valere puto, quod Ἰφιγένεια; nam huius nominis varias mutationes exstitisse etiam infra intellegemus[3]) Dona huic heroinae ante nuptias oblata ad veterem naturam Iphigeniae spectant.[4]) Si Alcathoi filia facta est, hic quoque fingendi libido eam domestico generi regio inseruit.[5])

Id porro non neglegendum videtur quod eodem loco Pausaniae ἱερόν commemoratur: ὃ Ἀγαμέμνων ἐποίησε, ἡνίκα ἦλθε Κάλχαντα οἰκοῦντα ἐν Μεγάροις εἰς Ἴλιον ἕπεσθαι πείσων. Cui narrationi alioquin posteriore aetate ortae pristinum cultum Iphigeniae subesse puto.

In sequentibus vicissitudinibus fabulae nostrae certae epochae ideo difficillime discernuntur, cum Graeci multa quae prioribus placuerant ut solet retinuerint et suis admixerint. Sed forte se res sic habuit ut cum Iphigenia simul in Graecia heroicis honoribus coleretur simul in Chersoneso Taurica versaretur, homines Graeci quaererent, quomodo illuc venisset. Sic ista narratio evasit eam post mortem a Diana ad Tauros remotam et huius deae sacerdotem factam adhuc in illis fabulosis

---

1) Quae eaedem olim Dianam ipsam significabant. cf. Preller Gr. M. I⁴ 299.

2) Gr. Götterl. I. 575.

3) Speciosa est coniectura Pausaniam pro Ἰφινόη scripsisse Ἰφιγόνη, quod cum origine artius cohaereat et apud alios scriptores pro Ἰφιγένεια obviam fiat; sed de Iphinoe Megarensi etiam Pausan. I 39,6 legimus. De Iphinoe cum Iphianassa composita cf. infra.

4) Quippe omnino usitatum fuit, ut virgines ante nuptias Iunoni vel Dianae comas suas dedicarent. cf. Pollux III 38. Hermann antt. graec. IV³ 270,5 et inprimis G. Curtius Stud. I 1,254. Quodsi tales dedicationes etiam Hippolyto Troezenio fieri videmus (cf. Pausan. II 32), id ex arta coniunctione eius cum Diana declarandum opinor.

5) Item iudicandum erit de Iphinoe Nisi filia, Megarei uxore apud Pausan. I 39,6.

6) Magnam veri speciem habet sacris huius numinis barbari antiquitus feminam sacerdotem praefuisse, qualis mos de multis gentibus septentrionalibus constat.

regionibus immortalem degere. Talibus fere niti puto quod in Cypriis legimus. Ceterum Hecaten quoque — tantopere cum Iphigenia coniunctam — Schoemannus Opp. II 244, sq. primum cum dea Taurica confusam, deinde autem sacerdotium eius subiisse ostendit. Patet tale quid etiam cum fabula de Iphigenia ex sacrificio servata optime consociari potuisse.

Attamen mens versatilis Graecorum non acquievit. Nam cum Braurone aliisque locis monumenta huius heroinae ostenderentur et singularis ille cultus aliquid externi habere videretur, posteriore aetate paene cum necessitate quadam fabula de Iphigenia cum simulacro deae suae e Tauris reversa se obtulit. Minime igitur Roberto[1]) concesserim Euripidem demum haec suopte ingenio invenisse, quae populi potius orem a sapiunt. Comparandum puto quod de virginibus Hyperboraeis ex patria sua Dianae sacra Delum apportantibus ibique humatis narrabatur.[2])

Hic igitur locum habent quae legimus apud Pausan. I 33, 1: *Βραυρών, ἔνθα Ἰφιγένειαν τὴν Ἀγαμέμνονος ἐκ Ταύρων φεύγουσαν τὸ ἄγαλμα ἀγομένην τὸ τῆς Ἀρτέμιδος ἀποβῆναι λέγουσι, καταλιποῦσαν δὲ τὸ ἄγαλμα ταύτῃ καὶ ἐς Ἀθήνας*[3]) *καὶ ἐς Ἄργος*[4]) *ἀφικέσθαι.* De fatis huius imaginis infra agendum erit. Per illud pignus autem crudeles quidam ritus Halis[5]) maxime adhuc satis indicati olim ex barbaris repetiti videbantur. Id quoque haud parvum adminiculum huius coniunctionis fuit, quod Halis *Ἄρτεμις Ταυροπόλος*[6]) venerata est. Quae appellatio ob similitudinem cum dea Taurica certe non Euripidem[7]) primum ad conectendum pellexit.

---

1) Arch. Märch. 146.

2) Cf. Preller Gr. M. I⁴ 298.

3) Hic enim postea dea Brauronia sacellum habebat. cf. supra p. 6 et Preller Gr. M. I⁴ 314.

4) De Argo quidem aliunde nihil constat; nisi forte Pausan. II 22,7 huc trahendum erit.

5) Huius autem loci religionem a Braurone non segregandam esse supra cognovimus.

6) Quae ut omnium animalium sic etiam bovum tutelam habebat. cf. Welcker Gr. Götterl. I 592. Nimis longe processit Usenerus mus. Rhen. XXIII 355 putans terram Tauricam ex dea Tauropola demum fictam esse.

7) Cf. J. Taur. vs. 1422 sq.: (βοέτας) . . . ἐπώνυμον γῆς Ταυρικῆς πόνων τε σῶν . . . . . Ἄρτεμιν δέ νιν βροτοὶ τὸ λοιπὸν ὑμνήσουσι Ταυροπόλον θεάν.

Sed etiam Spartam Iphigenia deae Tauricae signum et venerationem attulisse dicebatur; forma enim qua illius loci fabula servata est ei hunc demum locum assignat. Pausan. III 16,7 tradit olim Spartae ob cruentam rixam inter sacra facienda a Diana pestem missam esse: *καὶ ἐπὶ τούτῳ γίγνεται λόγιον, αἵματι ἀνθρώπων τὸν βωμὸν αἱμάσσειν· θυομένου δὲ ὅντινα ὁ κλῆρος ἐλάμβανε Λυκοῦργος μετέβαλεν ἐπὶ τὰς ἐπὶ τοῖς ἐφήβοις μάστιγας ἐμπίμπλαταί τε οὕτως ἀνθρώπων αἵματι ὁ βωμός· ἡ δὲ ἱέρεια τὸ ξόανον ἔχουσά σφισιν ἐφέστηκε.* Siquid inter flagellationem remitteretur, illam imaginem admodum gravem fieri: *οὕτως τῷ ἀγάλματι ἀπὸ τῶν ἐν τῇ Ταυρικῇ θυσιῶν ἐμμεμένηκεν ἀνθρώπων αἵματι ἥδεσθαι.* Iure nuperrime a Roberto[1]) quoque monitum est huic narrationi — plane cum Brauronia comparandae[2]) — domesticam vetustam et cruentam religionem subesse. Certe tale quid non fingi potuisset, nisi similitudo quaedam inter cultum Dianae Orthosiae seu quo alio nomine dicta est[3]) et deam Scythicam cognita esset. Forte auctores ii Peloponnesii fuerunt, qui primi in terras septentrionales navigabant.[4]) Num haec fabula cum Brauronia cohaereat vel ante eam orta sit, plane obscurum manere debet. Sed haud unum vestigium exstat[5]) numen Lacedaemonium communes quasdam facultates cum Iphigenia habuisse: unde etiam illae reliquiae crudelium sacrorum explicari poterunt.

Iphigeniam e mactatione servatam Graecos hominum sacrificia detestantes significare apparet.[6]) Quae et de cerva supposita et alias a Stengelio prolata sunt, aptius videtur ut parte II Cypriorum narrationem tractantes recenseamus.

---

1) Arch. Märch. 148 sq.

2) Flagellatio Laconica iis respondet quae apud Euripidem de Halis traduntur; aliunde analogia in Lupercalibus exstat ubi duorum adolescentium frontes cruenta secespita tangebantur. Cf. Marquardt St. V. III² 442. Ceterum hic eadem causa subest.

3) Cf. Preller Gr. M. I⁴ 309; sed eam cum Limnatide — praecipue a feminis culta — eandem fuisse Fraenkelius Arch. Zt. XXXIV 28 negat.

4) Quod de **Megarensibus** potissimum constat; de quibus cf. supra p. 11.

5) Cf. Usener mus. Rhen. XXIII 345.

6) Cf. etiam Meyen l. c. p. 19. Boeckh Expl. Pindari p. 139; non absurde iam Tzetzes ad Lycophr. 183 sacrificium Isaaci a numine prohibitum huc comparavit.

Fabulas adhuc allatas omnes antiquiore tempore i. e. usque ad saeculum quintum ortas crediderim. Nunc etiam posteriorum legendarum varietas quae iam minus gravitatis habeat breviter complectenda erit.

Nec minime simulacrum Tauricum largam materiam praebuit. Nam cum reditus Iphigeniae inter omnes notus esset, certatum fuit ubinam genuinum signum possideretur. Pausanias III 16,7 Spartae favet: Brauronios enim id tam parvi aestimasse, ut bello Persico hostibus praedae relinquerent. Certe autem ut Robertus[1]) iure notat vetus lignea statua semper intacta apud Brauronios stetit.

Paucis exemplis comprobare liceat, quomodo externi ritus cum graecis, inprimis Brauronio[2]) commixti fabulae nostrae nova incrementa attulerint. Amphipoli, quo Athenienses coloniam deduxerant, ob deam Tauropolam ibi veneratam cultus Dianae Brauroniae institutus est.[3]) Deinde autem vel remota oppida Asiae Iphigeniam et Orestem — nam Euripidis fabula tum iam inter omnes nota erat[4]) — monumentum huius religionis apud sese collocasse certatim gloriabantur. Itaque apud Pausan. III 16,8 legitur: *ἀμφισβητοῦσι μὲν Καππάδοκες οἱ τὸν Εὔξεινον οἰκοῦντες τὸ ἄγαλμα εἶναι παρά σφισιν, ἀμφισβητοῦσι δὲ καὶ Λυδῶν, οἷς ἐστιν ἱερὸν Ἀρτέμιδος Ἀναΐτιδος.* Scimus hisce locis magnas deas propriis caerimoniis cultas fuisse, quae forte Dianae Tauricae vel Graecae ut Brauroniae memoriam excitabant. Nec minus Comanenses deae suae graece Enyo appellatae ab Agamemnonis liberis sacra condita esse sibi vindicabant.[5]) In Cappadocia vel duo oppida iuxta sita asseverabant se gladium Iphigeniae — scilicet

---

1) Arch. Märch. 148.

2) Cf. Plutarch virt. mul. 247: (*τὸ ἄγαλμα*) *εἰς Λῆμνον ἐκ Βραυρῶνος κομισθέν, ἐκ δὲ Λήμνου πανταχόθεν συμπεριαγόμενον.* Lamprid. vit. Heliog. c. 7: Et Orestem quidem ferunt non unum simulacrum Dianae nec uno in loco posuisse, sed multa in multis.

3) Cf. Suchier p. 15. 59. Koechly p. 16.

4) Cf. Robert Arch. Märch. 148.

5) Cf. quae de hac tota re in Meyeni dissertatione inprimis p. 30 sq. 43 sq. large composita sunt, cui tamen tres periodos in religione Dianae discernenti hodie vix quisquam assentietur. Cf. etiam Suchier p. 25 sq. 50 sq. Claus p. 58 sq. Preller Gr. M. I[4] 322 sq.

quo olim homines mactati erant — possidere[1]). Ibidem Procopius B. Pers. I, 7 duo fana ab Oreste aedificata commemorat alterum Dianae, alterum Iphigeniae; sic vel hac ultima aetate prisca natura eius quibusdam vestigiis elucet. Etiam quae de Orestis migrationibus usque in Palaestinam Syriamque sorore comite prolatis apud chronographos Byzantinos legimus partim ex studio aetiologico fluxisse puto; haec tamen in fine partis II perstringam.

Item iudicandum est de narrationibus Rhegii[2]) et maxime apud Ariciae incolas pervulgatis, cascos quosdam ritus[3]) ab Oreste ex Tauris allatos esse.

Etiam fortius Agamemno, ubi semel pater Iphigeniae factus est, vario modo cum Dianae religione conectebatur. Ea res primum, quot sciam, apud Theognidem[4]) obviam fit. Mox autem hic illic narratum est Agamemnonem Dianae templa condidisse: sic Myrrhinunte Braurone Megaris; nec minus in Asia Pygelae et ad lacum Selinusium. Plura testimoniis suis comprobata inveniuntur in disputatione E. Curtii quae inscribitur „Artemis Gygaia und die lydischen Fürstengräber“;[5]) sed quae vir doctissimus hac traditione nisus protulit[6]) admodum dubia sunt: Iphigeniam enim inde ab origine sua Pelopidarum generi propriam esse et Agamemnonis personam e sacerdote Dianae prodiisse suspicatur. Omnino autem sententia Curtii Pelopidas antiquitus cum hac dea coniunctos cultum eius ex Asia in Peloponnesum transtulisse, non retineri poterit[7]) itaque etiam Agamemno

---

1) Cf. Dio Cass. XXXV 11. Omnino reliquiae temporum heroicorum tunc in magna auctoritate erant. Cf. Friedlaender S. G. II⁵ 160.

2) Cf. Schneidewin De Diana Phacelitide et Oreste apud Rheginos. Gotting. 1832.

3) Cf. quae Strabo p. 239 de sacris Ariciae tradit: *καὶ γάρ τι βαρβαρικὸν κρατεῖ καὶ Σκυθικόν.*

4) Vs. 11 sq. B.: *Ἄρτεμι θηροφόνη, θύγατερ Διός, ἣν Ἀγαμέμνων — εἵσαθ', ὅτ' ἐς Τροίην ἔπλεε νηυσὶ θοαῖς.* De Aulide cf. etiam Callim. fr. 76 cum adnot. Schneideri.

5) Arch. Zt. 1853. p. 148 sq.

6) Novissime etiam Stud. z. Gesch. der Artem. p. 1181–83.

7) Praesertim cum fabula de Pelope et Tantali filio et ex Asia immigrante recentiori demum tempori tribuenda sit. cf. Grote-Fischer Gr. Ant. I 143 et novissime O. Kramer De Pelopis fabula Berol. 1883 inprimis p. 7—10. Ceterum fundamentum coniecturae a Curtio prolatae est illa sententia viri illustrissimi Iones iam ante colonias in Asiam deductas ibi habitasse.

per Iphigeniam demum tantopere ministerium Dianae subiit.

Maiorem quidem partem hactenus complexus sum quae de fabula nostra ex religione et populi ore nata atque crescente proferenda videbantur. Nonnulla tamen posteriori parti reservavi, ne arte cohaerentia divellere et nimis iterare cogar.

Pars II.

De Iphigeniae fabula in litteris exculta.

Apud Homerum neque de Iphigenia neque de caede eius quidquam legi iam a veteribus criticis notatum fuit.[1]) Nomina enim trium filiarum quas Agamemno cum magna dote Achilli placando offert haec sunt (I 144 sq. = I 285 sq.):

τρεῖς δέ μοί εἰσιν θύγατρες ἐνὶ μεγάρῳ εὐπήκτῳ
Χρυσόθεμις καὶ Λαοδίκη καὶ Ἰφιάνασσα,
τάων ἥν κ' ἐθέλῃσι φίλην ἀνάεδνον ἀγέσθω.

Nullo modo igitur Iphianassa a sororibus discernitur.[2]) Posteriore quidem aetate grammatici comprobare studuerunt Iphigeniam doctrinae Homeri minime ignotam fuisse;[3]) nostra vero aetate non defuere qui illas virgines Homericas deas lunares esse affirmarent.[4]) Sed et Iphianassae et duarum aliarum sororum nomina a poeta apte inventa esse, quibus dignitas regia significaretur, iam veteres scholiastae iure adnotaverunt.[5]) Ceterum Iphianassae nomen in fabulis Graecis etiam de aliis personis adhiberi conspectus in Benseleri lexico s. v. obvius docet. Omnino autem appellationes in — *ασσα* vel — *ανασσα* desinentia inprimis poetis epicis grata fuerunt.[6])

---

1) Schol. ad I 144: *ὅτι οὐκ οἶδε τὴν παρὰ τοῖς νεωτέροις σφαγὴν Ἰφιγενείας.* Cf. Lehrs Arist. ³ 176.

2) Cf. etiam *N* 378: *δοῖμεν δ' Ἀτρείδαο θυγατρῶν εἶδος ἀρίστην.*

3) Cf. Schol. ad Eurip. Orest. 23 et 647, de quibus recto iudicatum est a G. Hermanno praef. ad I. Taur. p. XXXVI.

4) Cf. e. g. E. Petersen Arch. ep. Mitth. a. Öst. V p. I sq. Claus p. 69 sq.

5) Ad I 144: *οἰκεῖα θυγατράσι βασιλέως τὰ ὀνόματα.*

6) Sic etiam in Nereidum catalogo *Ἰάνασσα*, cuius nomen idem valet quod *Ἰφιάνασσα*. Cf. Lehrs Arist. ³ 460.

Graecis Aulide profecturis neque de ventis ob iram Dianae adversis aut deficientibus neque de virginis sacrificio quidquam ab Homero traditur; haec tantum Ulixes narrat (B 305):

ἡμεῖς δ' ἀμφὶ περὶ κρήνην ἱεροὺς κατὰ βωμοὺς
ἕρδομεν ἀθανάτοισι τελη έσσας ἑκατόμβας.

Itaque nullum vestigium posterioris fabulae ut Meyenus p. 18 voluit in iis latet, quae Agamemno Calchanti obicit (A 108):

μάντι κακῶν οὔ πώποτέ μοι τὸ κρήγυον εἶπας.

Iphigeniam Agamemnonis filiam esse in litteris primum apud Hesiodum invenimus. Nam id e locis qui iam supra afferendi erant apparere puto, praesertim cum teste Pausania „ἐν καταλόγῳ γυναικῶν" commemorata alicui generi regio inserta esse debuerit. Nunc quidem difficillima oritur quaestio, qualis conditio inter Iphianassam et Iphigeniam intercedat. Hic enim haud minime in fabula nostra .aquam haerere adhuc parum notatum est. Tres diversae viae ad hanc aporiam solvendam excogitari possunt: aut Iphianassam Homericam simul Iphigeniam significasse aut hanc quartam Agamemnonis filiam iam Homeri temporibus notam, sed ab hoc poeta non commemoratam fuisse aut eam omnino post Homerum demum cum Agamemnonis genere conexam esse. Sententiae quam primo loco posui veteres favebant et recentiores quoque criticos huic assentiri video.[1]) Lehrsium haesitasse apparet ex verbis eius quae leguntur in Aristarcho[3] 464.[2]) Certe id semper reputandum est Iphianassam et Iphigeniam admodum similes formas fuisse et forte haec ipsa similitas primam ansam dedit Iphigeniam cum Iphianassa componendi, praesertim cum in sermone epico nomina consona ab eadem stirpe ficta libenter iisdem versibus consocientur, quibus rhapsodorum memoria nitatur.[3]) Deinde notus ille Graecorum mos respiciendus est, ut in familiis et inprimis fratribus soro-

---

1) Cf. Schol. ad I 144 et inprimis Schol. ad Eurip. Orest 647: *Ἰφιγένειαν τὴν καὶ Ἰφιάνασσαν καλουμένην* et novissime de hac re disserentem Stengelium l. c. p. 367, 27. Etiam Koechlius p. 24 ita iudicare videtur.

2) *Ἰφιάνασσα* erhielt die Schwester *Ἰφιγένεια*, sollte auch möglicherweise dies ursprünglich zwiefache Form für dieselbe Tochter Agamemnons gewesen sein.

3) Cf. Lehrs Arist. [3]454 sq.

ribusque nomina ab eadem origine derivata inderentur.[1]) Tales forsitan causae effecerunt, ut Iphianassa sororem Iphigeniam acciperet. Nisi potius illa nomina primum ad eandem personam relata sunt[2]), mox autem a Graecis consciis, ea non idem significare, rursus segregata sunt, ut de carminibus Cypriis cognoscemus. Sed minime penitus investigare poterimus, quomodo haec coniunctio facta et num Hesiodo tribuenda sit, aut, quod magis verisimile, populo Graeco. Quodsi apud veteres traditur Braurone Iliadem recitatam esse[3]), hinc non ausim nostrae disceptationi aliquem fructum percipere.[4])

Iam porro quaeritur, utrum Iphigenia apud Hesiodum in sacrificii discrimen venerit necne. Nihil certi traditur. Meyenus quidem p. 18, quem Wilamowitzius l. c. p. 253 sequitur, iam hic de ea re narratum fuisse putat itaque Pausaniae illud οὐκ ἀποθανεῖν vertit „non caesam esse". Contra Stengelius qui annal. phil. 1883 p. 362 sq. de sacrificiis post aetatem Homericam in Graeciam illatis disputavit, p. 367 quae in fabula nostra de Hesiodo traduntur, omnino dubia habet, maxime ea causa ductus, quod illo tempore hominibus litatum esse negat; etiam quae de Iphigenia Hecate facta narrantur, Hesiodo abiudicat: catalogum etiam alioquin interpolationibus vitiatum esse et Hecates cum Diana coniunctionem a tam vetere tempore aliquantum abhorrere. Mihi quidem in hac re minime offendendum videtur, praesertim cum de Hecates origine atque notione tantopere caligemus. De causis autem, cur et quomodo cum Iphigenia coalescere potuerit, ad ea referre liceat,

1) Cf. Lehrs Arist. [3] 463 sq. Ex uberibus exemplis a Lehrsio tractatis inprimis huc comparandum est, quod ap. Apollod. I 2, 2 Iphianassa et Iphinoe Proeti filiae appellantur; Iphinoes autem nomen idem valuisse quod Iphigeniam iam supra p. 12 inventum est.

2) Haud raro in mythicis eadem persona pluribus nominibus significatur, plerumque eodem, ut ita dicam, fundamento retento; inter exempla huius rei ap. Lehrsium Arist. [3] 239 etiam nostra fabula enumeratur. „Et fortasse eodem recte referetur Ἰφιγένεια et Ἰφιάνασσα." Quamvis autem pro Iphianassa Iphigenia dici potuerit ideo non necesse est, iam huic Agamemnonis filiae inde ab origine sua veterem illam deam subesse, ut E. Curtius voluit: quod tum demum apparet, ubi primum sacrificium Iphigeniae obviam fit.

3) Testimonia de hoc more a Suchiero p. 44 sq. afferuntur.

4) Si conicere velis, de Argolica potius terra, Agamemnonis domicilio, cogitari potest. Ubi supra p. 13 vestigium quoddam Iphigeniae cognovimus.

quae parte I p. 9 disputavi. — Maior difficultas exstat, si de sacrificio iudicare conamur. De hoc enim primum in Cypriis legitur. Hesiodum Aulidem pluribus commemorantem[1]) Iphigeniae fabulam non indicare a Stengelio l. c. bene observatum est. Quamquam verbis: *μείναντες χειμῶνα* forsitan iam ad Graecos Aulide retentos alluditur; nam apud Homerum certe de tempestate nihil audimus. Sed maioris momenti ille Pausaniae locus (I 43, 1) videtur. Ibi enim, postquam de Inus morte narratum est, deinde de Iphigeniae (*ἀποθανεῖν καὶ ταύτην ἐν Μεγάροις*), paulo post sic pergitur: *οἶδα δὲ Ἡσίοδον ποιήσαντα . . . . Ἰφιγένειαν οὐκ ἀποθανεῖν* itaque hoc quoque vix de alia morte quam necessaria accipiendum fuerit. Concedo quidem nos etiam sic nihil certi assequi. Si Stesichorus teste Philodemo ex Hesiodo transtulit, Iphigeniam ad Hecates dignitatem elatam esse, ideo non oportet, eum sacrificium quoque — certe inde a Stasini temporibus satis notum — ex hoc poeta repetivisse. Nec minus dubium est, num Iphigenia apud Hesiodum in terram Tauricam remota sit; nam id ex Pausaniae verbis minime concludi posse Wilamowitzius l. c. p. 251, 1 iure monuit.

Ergo certis lineis descriptam primum carmina Cypria fabulam nostram exhibent. Liceat omnia huc pertinentia e Proclo verbo tenus apponere: *καὶ τὸ δεύτερον ἠθροισμένου τοῦ στόλου ἐν Αὐλίδι Ἀγαμέμνων ἐπὶ θήρας βαλὼν ἔλαφον ὑπερβάλλειν ἔφησε καὶ τὴν Ἄρτεμιν· μηνίσασα δὲ ἡ θεὸς ἐπέσχεν αὐτοὺς τοῦ πλοῦ χειμῶνας ἐπιπέμπουσα· Κάλχαντος δὲ εἰπόντος τὴν τῆς θεοῦ μῆνιν καὶ Ἰφιγένειαν κελεύσαντος θύειν τῇ Ἀρτέμιδι ὡς ἐπὶ γάμον αὐτὴν Ἀχιλλεῖ μεταπεμψάμενοι θύειν ἐπιχειροῦσιν· Ἄρτεμις δὲ αὐτὴν ἐξαρπάσασα εἰς Ταύρους μετακομίζει καὶ ἀθάνατον ποιεῖ, ἔλαφον δὲ ἀντὶ τῆς κόρης παρίστησι τῷ βωμῷ.* Hic demum locus videtur, ut de elementis huius narrationis inprimis de sacrificio Aulidensi fusius disseratur. Singularis est Stengelii opinio l. c. prolata, id ex more Phoenicio repetitum esse: semper apud hunc populum usitatum fuisse, ante periculosas expeditiones homines mactare et quod in Cypriis dux

---

1) Op. et Dies 652 sq.

. . . . ἐξ Αὐλίδος, ᾗ ποτ Ἀχαιοί
μείναντες χειμῶνα πολὺν σὺν λαὸν ἄγειραν
Ἑλλάδος ἐξ ἱερῆς Τροίην ἐς καλλιγύναικα.

regius navigaturus filiae primigenae sanguine ventos placare studeat, plane illinc translatum esse. Cervae autem ut omnino ferarum immolationem in Homeri carminibus ignotam, in Phoenicum cultu persaepe inveniri, nec minime in religione deae cuiusdam a Graecis postea Dianae nomine appellatae.

Quamvis docte et eleganter ea omnia disputata sint, tamen hic iusto longius progressum videtur. Nam ut omittam, morem — ut Stengelius voluit — modo innotescentem vix tam facile carmini epico Graeco inserendum fuisse, haud unum vestigium exstat, Graecos quoque ut alias gentes arianas vetustissima potissimum aetate deis hominis vitam obtulisse[1]). Brauronium autem cultum, qui tantae gravitatis est ad origines fabulae nostrae investigandas, Stengelius ne verbo quidem tangit.

Origo vocis ‚Munichia' satis dubia est.[2])

De cerva supposita valde dubito, num Stengelius verum viderit; nam mihi quidem hic non de proprio sacrificio eius agi videtur: Cum ex litteris tum ex monumentis cognoscimus, iam pridem hanc maxime feram ex toto animalium regno cum Diana consociatam fuisse[3])

---

1) Exempla a V. Hehnio Kulturpfl. u. Hausth. [4] p. 438 sq. allata hanc sententiam satis comprobant. Intellegitur, inprimis in principio omnium maiorum operum hominum sanguine opus fuisse cf. Hehn p. 443: sic etiam Saxones navigaturi „decimum quemque captorum“ (Sidon. Apollin. Epp. VIII 6) mactant. — De Graecis cf. etiam supra p. 6 et J. Beckers De hostiis humanis apud Graec. Monast. 1867 ubi separatim de Jovis, Apollinis, Bacchi cultu agitur.

2) Quatenus Diana Munychia vel potius Munichia cum Brauronia coniungenda sit, parte I indicatum est. Eam vocem ex lingua phoenicia oriundam esse O. Kellerus Mus. Rhen. XXX 304 A. Mommseni coniecturam (Heort. 467) secutus pluribus confirmare studuit; aliam suspicionem Graserus Phil. XXXI 6 protulit. Vir doctissimus A. Mueller, quem de hac quaestione adii, me benigne docuit, Mommseni derivationem legibus linguae plane adversari; de Graseri etymologia idem sic iudicat: Hierfür eine gewisse Möglichkeit nicht zu läugnen, obwohl die Bedeutung „Ruheplatz“ für eine Schiffsstation nicht unbedenklich erscheint. — Sed etiam de Graeca origine huius vocabuli ut tam saepe in Dianae religione adhuc nihil certi constat. Vocem *μοῦνος* inesse linga attica vetat; non minus difficilis est terminatio — *ιχια* cf. etiam G. Curtius Gr. Et. [5] 718. — Quodsi Kellerus monet, Agamemnonem hic Dianae templum condidisse, ea narratio post Aulidensem demum orta est. Cf. pars I p. 16.

3) Cf. Preller Gr. M. I[4] 302. Cerva iisdem causis etiam Apollini praecipue grata erat cf. Preller Gr. M. I [4] 270 et O. Keller

itaque eam etiam hoc loco ad apparatum mythicum pertinere crediderim, ut secundum nostratem cogitationem loquar. Eodem referendum est, quod Agamemno cervam potissimum iaculatur.

De vera ferarum mactatione quidem testimonia et a Stengelio et a Kellero l. c. p. 96 allata admodum persuadent.

Quaeritur, cur Iphigeniae sacrificium cum Aulide coniunctum sit. Sunt qui putent, morem Brauronium in carmina Cypria translatum esse.[1]) Et certe, quae de Aulide tradebantur, aliquo modo cum illo ritu attico cohaereant. Sed etiam Aulidi vetus religio Dianae vindicanda erit; et profecto haud unum vestigium de Diana Amarysia vel Colainide hic culta exstat.[2]) Huc accedit, quod antiquitus constabat, exercitum Graecum Aulide navigium fecisse. Quando quidem et quibus de causis fabula nostra hic sedem suam collocaverit, accuratius non diiudicari potest.

De Iphigenia immortali et ad Tauros ablata parte I dicendum fuit.

Erat autem sacrificium eius ad consilium poeticum peraptum, quoniam illo tempore fama tenuisse videtur, iam ante Troiam captam Graecos vario modo peccasse et peccati poenas luisse.[3]) Itaque hic legimus de Achaeis iterum Aulide proficiscentibus.[4]) Quod haec fabula vero de Iphigenia mactanda in Agamemnonem potissimum translata est, non modo nominum similitudo effecit et si quid aliud fuit, sed etiam aequi-

---

Thiere des klass. A. in ihrer kulturg. Bez. p. 85. 360. 368 sq. — Haud una re cerva a Taygeta Dianae Orthosiae dedicata comparari potest. Cf. Pind. Ol. III 29.

1) Sic Welckerus Gr. Götterl. II 401. Sed quae de Agamemnone Braurone vel Munichia Troiam proficiscente narrabantur, secundum Aulidensem demum fabulam inventa esse apparet.

2) Cf. quae O. Schneiderus ad Callim. fr. LXXVI attulit. Koechlius Anm. 37 ostendit, hac tota regione, inprimis in opposita ripa Euboeae huius numinis cultum viguisse (cf. etiam Gerhard Gr. M. § 330, A. 5. Preller Gr. M. I[4] 311,4) et p. 25 vel suspicatur, hanc quoque deam ut Brauroniam olim Iphigeniam appellatam fuisse. Sed quamvis de Diana Amarysia etiam pluribus locis Atticae venerata constet (cf. e. g. Hesych. s. v. Böckh ad CIG 528), ea coniectura nimis incerta est. — Ceterum Diana non in nostra tantum fabula maris et procellarum potens est cf. Preller Gr. M. I[4] 315.

3) Cf. L. Schmidt Eth. der Gr. II 12.

4) Cf. Lehrs Arist.[3] p. 92 sq.

tati maxime respondere videbatur.[1]) Hic enim belli auctor superbia quadam nimiaque gloria iam apud Homerum insignis fuit. Quae facultates postea in maius augebantur, ut omnino Pelopidarum tristia fata post Homerum demum exculta videntur.[2]) Ὕβρις illa, ut mortalis in arte a numine donata illud ipsum superare glorietur, e fabulis graecis nota est.[3]) Nam quod cerva sacra fuit minus culpae datum est. Simul respiciendum Dianam antiquitus in carmine epico cum Apolline a partibus Troianorum stare.[4]) Narrationem de nuptiis simulatis e versibus Homericis, ubi Agamemno Achilli unam ex tribus filiabus offert, fiuxisse Welckerus Mus. Rhen. V 451 eleganter suspicatus est. Sed Iphianassam a Stasino retineri, docet Schol. ad Soph. Electr. 157: . . . ἤ, ὡς τὰ *Κύπρια*, *διαφόρους* φησὶν Ἰφιγένειαν καὶ Ἰφιάνασσαν. Certe tamen nullas partes egit.

Huiusmodi igitur rivulis fabula nostra, qualis e litteris nota est, confluxerit. De Achille, Clytaemnestra ceterisque apud posteriores poetas obviis nihil traditur in Procli breviario. De hisce personis post Welckerum (Ep. Cycl. II 101) Frid. Schlie[5]) speciosas coniecturas protulit. Cui de Achille assentiendum puto, carminis epici simplicitati magis respondisse, ut sciens dolo ad virginem arcessendam nomen suum praeberet et fati divini necessitate et propria forte ambitione[6]) permotus. Ulixi, si omnino huic rei implicatus fuit, dubito num tot tribuendum sit, ut voluit J. Schmidt De Ul. Posthom. p. 9 Sophoclis fragmentis nisus. Praeterea vix aliquis ducum in ea re locum habuerit; verissime enim Schlie p. 79 monet, carmen epicum semper ad rem et eventum festinare, animorum autem fluctuationes magis arti tragicae excolendas relinquere. De Clytaemnestra quidem

---

1) Si Wilamowitzius l. c. p. 250 in ea re offendit, quod innocens filia victima sit, monuerim eam servari et propriam numinis iram sic semper in Agamemnonem cadere. — Quod 'Ἀγαμέμνονος θυσία' in proverbium transiit (cf. Paroem. gr. ed. Gotting. II. Cent. I. Nr. 5), id de Iphigeniae sacrificio accipiendum erit; nam quae grammatici de bove ab ara effugiente tradunt, procul dubio postea demum inventa sunt.

2) Cf. Lehrs Arist.³ p. 78 et O. Kramer De Pelopis fabula.

3) Cf. Lehrs Pop. Aufs.² 52 sq.

4) Cf. inprimis *Γ* 39. 71.

5) Darst. des troi. Sagenkr. auf etr. Aschencist. p. 78 sq.

6) Cf. Welcker Rh. Mus. V 451.

nulla mentio exstat; tamen iam hic notandum videtur, mores eius apud poetas graecos cum Iphigeniae sacrificio certam quandam necessitudinem habere. Nam quo graviorem culpam Agamemno in mactanda filia subit, eo magis matrem vehementer laesam — quamquam non id solum eam stimulat — mariti trucidandi participem fieri oportet. Itaque apud Homerum id modo certum est, eam Cassandrae manus intulisse.[1])

Perpauca extricari possunt, quae apud Stesichorum de Iphigenia narrata fuerint: ubi vel de parentibus eius dubitatur. Apud Pausaniam enim legimus (II 22, 7), ut Alexandrum Aetolum et Euphorionem antea Stesichorum quoque de Iphigenia a Theseo et Helena genita et Clytaemnestrae supposita cecinisse. Wilamowitzius l. c. p. 252, 2 in hac traditione Stesichorum per errorem ad poetas Alexandrinos positum esse putat: primum enim bonum Philodemi testimonium[2]) adversari; deinde rem per se non verisimilem esse, quia sic Clytaemnestra coniugem suum non ob propriam filiam, sed a sorore clam adoptatam simulato dolore occidens inducatur. Alii quidem ut Bergkius[3]) et Usenerus[4]) censent, talem diversorum carminum discrepantiam apud Stesichorum nullam offensionem habere et verba „τὴν Ἀγαμέμνονος" secundum vulgarem opinionem a Philodemo vel Apollodoro addita esse — Quam sententiam nuperrime Kalkmannus[5]) observatione sua, etiam alias a Pausania Stesichorum cum Alexandro Aetolo et Euphorione coniungi, confirmare studuit. Pluribus de ea re infra disputare in animo est, ubi poetae Alexandrini tractandi erunt. Nam tali modo, quali illa narratio apud Pausaniam servata est, in Stesichori carminibus certe non prolata fuerit. Quem de Helena novas fabulas ad eam defendendam potius invenisse videmus.[6]) De Clytaemnestra, cuius mores per validum ingenium Stesichori tantopere mutati sunt[7]), Wilamowitzii deliberationem satis

1) Cf. λ 405 sq. 421. ω 959. Ceterum a plerisque criticis hi loci recentioris originis esse declarantur, sic etiam a Niesio Entw. d. Hom. Poes. 37. 166.
2) Cf. supra p. 9.
3) P. L. G. III⁴ p. 221.
4) Mus. Rhen. XXIII 360,1.
5) Pausanias der Perieget p. 252.
6) Cf. Lehrs Pop. Aufs.² 30.
7) Cf. Robert Bild u. Lied p. 181 sq.

valere opinor. Ab Helena autem Iphigeniam editam esse, cur inter vetustiores fabulas habendum videatur, infra explicare studebo.

Magnam veri speciem habet alia Wilamowitzii coniectura[1]), qua ostendere conatur, apud Stesichorum Agamemnonem Dianae pulcherrimum fructum anni vovisse, quo anno Iphigenia nata est; patre id votum neglegente postea deam Aulide ventos adversos misisse, donec virgine oblata placaretur. Apud Lycophronem enim vs. 326 sq. legimus:

ἣν εἰς βαθεῖαν λοιμίσας Ποιμανδρίαν
στεφηφόρον βοῦν δεινὸς ἄρταμος δράκων
ῥαίσει τριπάτρῳ φασγάνῳ Κανδάονος
λύκοις τὸ πρωτόσφακτον ὅρκιον σχάσας.

Quod de Iphigenia accipiendum esse Wilamowitzius dilucide ostendit; cum autem vocabulum *δράκων* pro Agamemnone positum certe et Stesichoro oriundum sit, facilis est coniectura, etiam votum illud tecte indicatum ex eodem fonte haustum esse: ceterum quamvis forte ea res ex cultu Attico fluxerit, tamen Stesichoro nota esse poterat. — Quodsi apud hunc poetam Iphigeniam Hecaten factam esse ex Philodemo cognoscimus, ea res a Cypriorum traditione non abhorret.[2])

Apud Pindarum de Clytaemnestra sic iudicatur Pyth. XI 21 sq.:

νηλὴς γυνά. πότερόν νιν ἄρ' Ἰφιγένει' ἐπ' Εὐρίπῳ
σφαχθεῖσα τῆλε πάτρας ἔκνισεν
βαρυπάλαμνον ὄρσαι χόλον;
ἢ ἑτέρῳ λέχεϊ δαμαζομέναν
ἔννυχοι πάραγον κοῖται;

Fortius quidem incitamentum ei in adulterio latere videtur, cum in illo considerando diutius moretur.[3]) Iphigenia hic re vera mactata esse debebat. Sunt qui putent, poetae sic quaerenti Aeschyli Orestiam ante oculos fuisse.[4]) Hoc carmen Pindari alii, ut Boeckhius Ol. 80,3, alii (Rauchenstenius) Ol. 79,3 assignant; Aeschyli trilogiam autem Ol. 80,2 actam esse constat. Sed certe fabula nostra tum iam inter omnes nota fuit, ut nihil certi statuendum sit.

---

1) Cf. l. c. p. 256.
2) Cf. pars I p. 13.
3) Cf. inprimis quae post vs. 25 sequuntur.
4) Cf. Engerum praef. ad Aesch. Agam. p. XII.

Iam ad poetas tragicos devenimus. Ubi id maxime considerandum est, quo modo ex suo quisque consilio Iphigeniae fatis ad scelera in Tantali progenie et contrahenda et dissolvenda usus sit. Sed valde dolendum est, tam pauca nobis servata esse, praecipue cum Aeschyli et Sophoclis, quae de Iphigenia ipsa scripserunt, prorsus fere evanuerint.

Apud Aeschylum plurima adhuc in Agamemnone inveniuntur: unde intellegitur, hanc quoque fabulam penitus menti altissimae imbutam fuisse. Nam poeta eam sic conformavit, ut ille „παλαιὸς δριμὺς ἀλάστωρ“ (Agam. 1469[1]) vel ultimam stirpem sibi subiciat. Multiplex culpa in Agamemnone ad filiae sacrificium progresso apparet; qui non modo avorum scelera luit, sed etiam propriis delictis implicatur. Attamen singula perspicere liceat.

Dum bellum paratur, ante domum regiam Atridarum lepus gravida a duobus aquilis laceratur (cf. Agam. 110). Visu anxiis Calchas vaticinatur, Troiam per duos Atridas captum iri, simul autem commonet vs. 126 sq.:

οἷον μή τις ἄγα θεόθεν
κνεφάσῃ προτυπὲν στόμιον μέγα Τροίας
στρατωθέν. οἴκῳ γὰρ ἐπίφθονος Ἄρτεμις ἁγνὰ
πτανοῖσιν κυσὶ πατρός,
αὐτοτόκον πρὸ λόχου μογερὰν πτάκα θυομένοισιν,
στυγεῖ δὲ δεῖπνον αἰετῶν.

Felicissime autem id praesagium inventum est, quia sic simul Dianae ira a prioribus poetis tradita manifestam causam accipiebat)[2]. Simul autem ut Troiae fautrix dea tecte invidiam[3]) quandam atque indignationem aperit ob instantem interitum dilectae urbis, ubi varia facinora praevidet. Calchas igitur perterritus, ne multo crudelius sacrificium ob leporem mactatam exigatur, deam implorat vs. 129 sq.:

μή τινας ἀντιπνόους Δαναοῖς χρονίας ἐχενῇδας ἀπλοίας
τεύξῃ σπευδομένα θυσίαν ἑτέραν ἄνομόν τιν' ἄδαιτον
νεικέων τέκτονα σύμφυτον οὐ δεισήνορα φωτός,

---

1) Citavi secundum alteram editionem G. Hermanni.

2) De Diana ferarum et maxime nascentis prolis patrona cf. venustos versus 131—35.

3) Perapte a God. Hermanno vs. 126 scribitur *ἄγα*.

μίμνει γὰρ φοβερὰ παλίνορτος
οἰκονόμος δολία μνάμων μῆνις τεκνόποινος.

Nihilo secius Agamemno illo portento neglecto strenue imperatoris munus subit. Omnibus ad navigandum paratis — apud Aeschylum ut apud Homerum Graeci semel Aulide proficiscuntur — caelestes altera fortiore admonitione animum regis tentant. Nam ventis adversis continuo flantibus Calchas diu cunctatus atrox illud remedium revelat (cf. vs. 188: *προφέρων Ἄρτεμιν* etc.). Quamquam saevo dolore percussus Agamemno rem funestissimam aggreditur[1]) itaque Iphigenia incertum num per dolum[2]) Aulidem arcessitur. Quot culpae Aeschylus huic sacrificio attribuat e descriptione eius cognoscitur, qua mirum quantum movemur (vs. 214 sq.). Patrem implorans et lingua impedita oculis misericordiam rogans virgo trepida, generosa tamen ut decet filiam regiam super aram tenetur. Sed momentum ipsum, quo res patratur, poeta humanissimus nobis obtegit (cf. vs. 233: *τὰ δ' ἔνθεν οὔτ' εἶδον οὔτ' ἐννέπω*). A Graecis autem Iphigeniam re vera caesam putari, consilium poeticum postulabat.[3])

Id igitur praecipue ab Aeschylo mutatum videtur, quod nihil de cerva supposita legitur et antea quoque Agamemnonis in venando superbia plane omissa est. Quare Iphigeniae sacrificium non est poena ob Dianam laesam, sed a numine invidioso ad animum eius imperandi bellandique cupidum experiendum exigitur. Cum in hac tentatione sese impotentem ostendat, in altam perniciem raptus denique per propriam uxorem taeterrimam mortem perpetitur. Apparet sic fabulam nostram ad gravitatem re vera tragicam effictam esse, ex qua illi cantus semper admirandi[4]) prodierunt.

Clytaemnestram ultoris partes suscepturam esse pluribus locis inprimis vs. 141 sq. senes Argivi suo modo augurantur. Quae hic demum sola atque sua

---

1) Admodum acerbe vs. 174 dictum est *ἐμπαίοις τύχαισι συμπνέων.*

2) Huc solum vs. 1489: *δολίαν ἄτην οἴκοισιν ἔθηκ'* referri potest. Cf. Schömann Einl. z. d. Eum. des Aesch. p. 12.

3) Cf. etiam Choeph. vs. 239: *καὶ τῆς τυθείσης νηλεῶς ὁμοσπόρου* itaque apud Aeschylum Electra tantum ex filiabus restat.

4) Cf. inprimis vs. 164 sq. 205 sq. 235 sq.

manu coniugem veste dolosa constrictum trucidat. Quamvis illam et conscientia proprii adulterii et coniugis perfidia incitet, tamen non minus momentum filiae sacrificio ab Aeschylo tributum est (cf. vs. 1373 sq., 1394, 1491 sq.). Quo fit ut Clytaemnestra divinae iustitiae munere fungi videatur (cf. vs. 1465 sq.).

Fusius de hac tragoedia Aeschyli dicendum putavi, quia hic apud veteres quidem ex omnibus, quae servata sunt, fabula nostra a poeta religiosissimo inter culpam hereditariam atque fatum divinum, simul autem liberam voluntatem patris collocata uberrimum fructum tulit.

Contra de ceteris Aeschyli operibus huc pertinentibus minime constat. Nam quam Welckerus[1]) trilogiam Iphigeniae fata complexam sibi aedificavit, ex ipsius mente admodum poetica originem traxisse ab omnibus conceditur.

Fabulam Ἱέρειαι inscriptam (fr. 81—83 N.) Welckerus de Iphigenia Aulidem arcessita agere volebat; sed Wilamowitzius l. c. p. 254 recte monuit, argumentum eius omnino ignotum esse. — *Θαλαμοποιοί* (fr. 73 N.) autem non ad nuptias simulatas, sed Danaïdas potius pertinere videntur.

Attamen Iphigeniam ab Aeschylo propria tragoedia tractatam esse, docet titulus Ἰφιγένεια, ad quem ille unus versus servatus est: *οὔτοι γυναιξὶ δεῖ κυδάζεσθαι· τί γάρ;* (fr. 89 N.); Welckerus Mus. Rhen. V 456 eum ex Iphigeniae oratione desumptum putabat, J. Schmidt[2]) ex Ulixis. Si omnino conicere velis, illa verba Agamemnoni magis apta videntur ad uxorem sacrificio resistentem converso et declaranti, se a feminis non illudi debere. Welckerus ad hanc fabulam restituendam maxime iis usus est, quae in Agamemnone chorus communicat: quem hic ex ducibus Graecorum compositum fuisse vult; Iphigeniam Agamemnoniae domus decus atque delicias magnae animae prodigam libenter pro patris patriaeque salute mortem subiisse. Intellegitur ea omnia maiorem partem pulchre inventa esse. Certe filia regia cothurno respondit, sed quae in Agamemnone legimus, ostendunt, eam non supra hominis et feminae naturam elatam fuisse.

---

1) Inprimis Aeschyl. Trilog. 408 sq. Nachtr. z. Aesch. Tril. 158 sq. Rh. Mus. V 447 sq.

2) Ul. posthom. p. 9.

De Sophocle perpauca cognoscere licet; omnino in hac fabula Cypria carmina secutus videtur.

Sic in Electra occurrit carminis epici Iphianassa.[1]) Etiam quae Electra vs. 566 de Aulide profert, hinc desumpta sunt. Ubi res a filia patris amantissima ita mutatur, ut minus de Agamemnonis superbia et culpa[2]) quam de divina necessitate[3]) dicat, Calchantem autem plane omittat. Sed recordari oportet in hac tragoedia ut singula atque in se conclusa Orestem quoque eadem causa post matricidium minime furiis exagitari. Iphigenia quidem re vera mortua videri debebat.[4]) Clytaemnestra autem — aliter atque apud Aeschylum — caedem filiae praetexens solum ob Aegisthi amorem ad maritum necandum impellitur.[5])

In Iphigenia Sophoclis de nuptiia simulatis dictum fuisse, ex fr. 284 N., apud Suidam servato cognoscimus:

σὺ δ' ὦ μεγίστων τυγχάνουσα πενθέρων.

Ubi disertis verbis adnotatur: *'Οδυσσεύς φησι πρὸς Κλυταιμνήστραν.* Ulixes igitur hic dolosus fuit; nam illa per irrisionem dicta sunt. Speciosa est Welckeri coniectura,[6]) Achillem iuxta Ulixem similes partes egisse ut Neoptolemum in Philoctete itaque etiam fr. 286 N:

νόει πρὸς ἀνδρί, σῶμα πουλύπους ὅπως
πέτρᾳ, τραπέσθαι γνησίου φρονήματος.

ad Achillem referendum esse Clytaemnestrae et Iphigeniae tutelam suscipientem.

Sin et ex fr. 287:

τίκτει γὰρ οὐδὲν ἐσθλὸν εἰκαία σχολή

et ex Ennii reliquiis conclusum est,[7]) chorum e militibus compositum fuisse, id nimis dubium est, praesertim cum illud fragmentum ex dialogo potius repetitum videatur. Inter ceteras reliquias *βασίλη* (fr. 289 N.) ad Clytaemnestram spectabit. Quodsi Schol. in Soph. Oed. Col. 793 legitur: *δοκεῖ γὰρ ὁ 'Απόλλων παρὰ τοῦ Διὸς λαμβάνειν τοὺς*

1) Vs. 157: *οἵα Χρυσόθεμις ζώει καὶ 'Ιφιάνασσα,* versus paene ex Homero translatus.
2) Cf. vs. 569 (in venatione): *ἔπος τι τυγχάνει βαλών.*
3) Cf. vs. 75 sq.: *ἀνθ' ὧν βιασθεὶς πολλὰ κἀντιβὰς μόλις — ἔθυσεν αὐτήν, οὐχὶ Μενέλεω χάριν.*
4) Cf. e. g. 530. 536. 548 (*φαίη δ' ἂν ἡ θανοῦσα, εἰ φωνὴν λάβοι*).
5) Cf. inprimis vs. 531—45. 584. 594 sq.
6) Inprimis Mus. Rhen. V 453 prolata.
7) Cf. etiam Schlie l. c. p. 8.'.

χρησμούς, ὡς καὶ ἐν Ἰφιγενείᾳ (corr. Schneiderus) φησί. = fr. 292 N., facile de sacrificio Aulidensi cogitaveris.[1])

Titulum „Κλυταιμνήστρα" et unum fragmentum 310 N. huc servatum Welckerus[2]) cum magna veri specie ad tragoediam „Ἰφιγένεια" inscriptam retulit. Certe Clytaemnestra hic admodum in lucem prodiit; Iphigeniam autem non ad tantam fortitudinem ut apud Euripidem progressam esse crediderim.

Quae de Chryse (fr. 215—16 N.) et Erigone (fr. 653—58 N.) Sophoclis Welckerus, inprimis Hygino nisus, suspicatus est, plane incerta esse apparet, praesertim cum in paucitate fragmentorum minime cognosci possit, quid omnino agatur.

Fabulas, quae Hygini nomine feruntur, partim ad hypotheseis recurrere constat itaque eas post poetas tragicos breviter tractabo.

Iam me ad Euripidem converto. Ex prioribus fabulis eius in Electra Clytaemnestram cum filia altercantem haud minime Iphigeniae sacrificium per dolum effectum obicere videmus (cf. vs. 1020 sq.). Ubi forma Ἰφιγόνη memoria digna est, cui etiam infra apud Parthenium occurremus; nomen decurtatum hoc loco praecipue ob rationem metricam adhibitum crediderim.

In Oreste vs. 23 Agamemnonis filiae enumerantur:

Χρυσόθεμις, Ἰφιγένεια τ' Ἠλέκτρα τ' ἐγώ.

Iphianassa autem nunquam apud Euripidem obviam fit. De Iphigeniae caede Orestes vs. 651 Menelaum commonefacit.

Pluribus exponendum est, quomodo Euripides Iphigeniam Tauricam et, quae post mortem demum acta est, Iphigeniam Aulidensem finxerit. Paucis argumentum utriusque fabulae afferam, ut quam maxime appareat, quoad poeta vetere fabula et prioribus operibus usus sit et quid de suo addidisse videatur. Quod eo magis oportere videtur, quoniam Euripidis fabulae apud omnes posteros plurimum valuerunt.

In Iphigenia Taurica causa sacrificii est votum illud neglectum, de quo satis diximus; Agamemnonis

---

1) Iam apud Homerum ϑ 77 Agamemno deum Delphicum de eventu belli consulit, quem locum Niesius Entw. der Hom. Poes. 202 recentioris originis esse iudicat.

2) Gr. Trag. I 207 sq.

superbia autem non commemoratur. In prologo Iphigenia narrat, se olim per Ulixem nuptiis simulatis Aulidem abductam esse et matre et Oreste fratre domi relictis; Electra infra vs. 550 nominatur: *λέλοιπεν Ἠλέκτραν γε παρθένον μίαν*. Chrysothemis igitur hic ignota est. De sacrificio Iphigenia secundum Graecorum opinionem ut vere peracto loquitur.[1]) Sacerdotio etiam apud Euripidem Calchantem fungi puto (cf. I. T. vs. 519 sq.); nam si pluribus locis[2]) legimus patrem ipsum litationem peregisse, id animo commoto tribuendum est. — Sed se a Diana servatam apud Tauros sacerdotem factam esse,[3]) Iphigenia pergit; hoc tempore se ob som-

---

1) Nam exercitus Graecus cervam suppositam virginem ipsam a dea caedis momento conversam credere debebat. cf. Welcker Mus. Rhen. V 458 cf. etiam vs. 172: *ἔνθα δοκήμασι κεῖμαι σφαχθεῖσ' ἁ τλάμων*. Si Iphigenia de se ipsa dicit: *ἐκαινόμην ξίφει* (vs. 27), Koechlius iure adnotat, id conatum rei faciendae significare.

2) Ut. Iph. Taur. 360. 565. 784. 853. 992. 1083 etc.

3) Est locus ille difficilis multumque tentatus vs. 34 sq.:

ναοῖσι δ' ἐν τοῖσδ' ἱερίαν τίθησί με,
ὅθεν νόμοισι τοισίδ' ἥδεται θεὰ
Ἄρτεμις ἑορτῆς, τοὔνομ' ἧς καλὸν μόνον,
τὰ δ' ἄλλα σιγῶ τὴν θεὸν φοβουμένη.
θείου γὰρ ὄντος τοῦ νόμου καὶ πρὶν πόλει,
ὃς ἂν κατέλθῃ τήνδε γῆν Ἕλλην ἀνήρ —
κατάρχομαι μέν, σφάγια δ' ἄλλοισιν μέλει.

Sic Kirchhoffius, qui ante vs. 35 nonnulla excidisse statuit. Wilamowitzius l. c. 254,2 longius coniectura provectus, in hac lacuna casci illius ritus *αἴτιον* narratum putat, a poeta forsitan cum domestica traditione de origine caerimoniae Brauroniae coniunctum; huc vs. 35 referendum esse. Koechlius autem in editione sua vss. 36 et 38 omissis vs. 35 sic scribit:

ὅθεν νόμοισι, τοῖσιν ἥδεται θεά.

Quod in Ind. lectt. Turic. 1860 p. 7 sq. pluribus confirmare studuit. Alii aliter his versibus restituendis operam dederunt. Quorum omnium optimum conspectum praebet Wecklein Annal. phil. t. CXIII p. 82 sq. Mihi quidem nihil excidisse aut mutandum videtur. Nam vs. 35 hoc sibi vult: Iphigenia demum sacra curante Dianam cultu Scythico gaudere itaque illud *ὅθεν* ut God. Hermannus ad h. l. monet eo spectat, quod Iphigenia sacerdos facta est. Semper autem Iphigenia inter morem sacrificandi iamdudum apud Tauros usitatum et Dianae Graecae religionem inde a suo adventu crudeli mori Taurico adaptatam discernit (cf. inpr. vs. 372 sq.) itemque chorus dubitat (vs. 449 sq.) num haec sacrificia deae domesticae accepta sint; nec iniuria, quoniam per Graecos demum numen barbarum cum Diana commixtum est.

Nulla igitur causa, cur Wilamowitzio antecedentem lacunam concedamus. — Certe cum melioribus mss. scribendum est *τοισίδ'*,

nium infaustum, quod ad Orestem exstinctum refert, sub divum egressam esse. — Ubi omnes discesserunt Orestes et Pylades modo advecti prodeunt et quae ab Apolline iussa acceperint, docent vs. 85 sq:

σὺ δ' εἶπας ἐλθεῖν Ταυρικῆς μ' ὅρους χθονός,
ἔνθ' Ἄρτεμίς σοι σύγγονος βωμοὺς ἔχει,
λαβεῖν τ' ἄγαλμα θεᾶς, ὅ φασιν ἐνθάδε
εἰς τούσδε ναοὺς οὐρανοῦ πεσεῖν ἄπο·
λαβόντα δ' ἢ τέχναισιν ἢ τύχῃ τινὶ
κίνδυνον ἐκπλήσαντ' Ἀθηναίων χθονὶ δοῦναι.

Quos versus exhibui quia hic primum in litteris oraculum de simulacro e Tauris apportando obviam fit. Mea sententia Euripides id novavit, ut Orestis errores prolataret et cum Iphigenia e terra Stythica redeunte consociaret. Nam Iphigeniam inde cum signo deae suae reversam esse, non ab Euripide demum fictum puto.[1] Id autem ingenio poetico facilem ansam praebuisse, G. Hermannus praef. ad I. Taur. p. VII. X. iure notat, praesertim cum Dianae simulacrum Apollinis fratris iussu e barbaris abductum esse, Graecorum religioni optime responderet.[2] Hac coniunctione tam fecunda posteriores poetae vario modo usi sunt, sed nostra demum aetate Goethio relictum erat, ut pulcherrimum fructum sibi ex ea perciperet.[3]

Iam in opere Euripideo breviter delineando pergo:

Scena vacuefacta Iphigenia cum feminis graecis captis progressa ob Orestem, ut putat, mortuum lamenta-

---

non *τοῖσιν*; optime enim hoc loco dictio demonstrativa quadrat, cum spectatoribus non modo deae templum (vs. 69. 113), sed etiam ara hominum sanguine aspersa et primitiae caesorum (vs. 72—75) appareant. Hoc tantum modo Iphigenia naturam illarum caerimoniarum indicare audet itaque vs. 36 non ad Dianae quandam appellationem referendum velim, sed ut iam verborum collocatio docet, '*ἧς*' ad antecedens vocabulum '*ἑορτῆς*' pertinet. De nomine huius festi quidem nihil scimus. — Ne ipsa autem tam crudele factum perpetrare videatur addit, sibi nihil nisi dedicationem victimarum humanarum mandatam esse (cf. e. g. vs. 40. 54. 58. 62 etc). Ob leve anacoluthon inter vs. 39 et 40 intercedens cum G. Hermanno post vs. 39 fortius interpunxeris. Ceterum vs. 38 lectionem *θείου* meliorum codicum auctoritate confirmari Weckleinus l. c. notat.

1) Liceat ad partem I p. 13 referre; etiam Koechlium p. 32 sq. sic iudicasse video.

2) Cf. etiam I. Taur. 987.

3) Cf. egregiam praefationem G. Hermanni Euripidem cum Goethio comparantis.

tur et nunc sese advenarum infelicium iam non miserere declarat. Interdum bubulcus cursu aggressus narrat, duos Graecos in litore apparuisse, quorum alterum furore stimulatum boves gladio stricto petivisse; manibus collatis hospites miro modo incolumes vix tandem captos esse. Quos ipsos paulo post adductos Iphigenia vinculis liberat et de Graeorum ducibus fatisque domus Agamemnoniae sciscitatur. Audit, se apud Graecos mortuam perhiberi, Orestem autem vivum esse. Nova inde spe accensa fratri suo per alterutrum epistulam missura est. Certamen illud honestum amicorum tandem sic finitur, ut Pylades Oresti pareat. Ob metum, ne codicilli amittantur, Iphigenia aperit, se ab Oreste fratre liberationem rogasse. Quo modo anagnorisis affabre[1]) effecta est. Tum, ubi Orestes a sorore petivit, ut sese in Apollinis iussu exsequendo adiuvaret, Iphigenia tandem dolum suum de signo lustrando profert. Omnia ex voto succedunt, nisi quod ipso proficiscendi momento Scythae adhuc remoti accurrunt. Acri proelio commisso Graeci navem solvunt, sed ab ostio portus quamvis enixe remigantes semper repelluntur. Iam Thoas cum militibus adest. In talibus angustiis deus ex machina locum habet. Minerva autem ob eam rem inducta est, quod illa imago secundum veterem opinionem domesticam in agrum atticum transferenda erat.[2]) Sic igitur Agamemnonis liberi reversi Orestes Halis, Iphigenia Braurone Dianae cultum instituunt.[3])

Iphigeniam Aulidensem inter ultima opera poetae collocandam et post mortem demum ab Euripide minore actam esse ex schol. ad Aristoph. Ran. 67 constat. Ob eam forte causam tantopere interpolationibus vitiata est. Debito enim longius progrediuntur, qui hanc fabulam, qualis nobis servata est, Euripidi omnino abiudicant.[4])

---

1) Cf. Aristot. Poet. c. XVI § 8.

2) Cf. G. Hermannum praef. ad J. Taur. p. XXII.

3) Cf. pars I p. 3.

4) Sic e recentioribus praecipue J. Bang De auctore Iphigeniae Aul. 1867, qui Gruppium secutus hanc fabulam a Chaeremone profectam esse suspicatur. Inter varios conatus aliorum hominum doctorum mira est Zirndorferi coniectura De Euripidis Iphigenia Aul. 1838 p. 12 sq., duas fabulas eiusdem tituli fuisse, alteram Euripidis patris, alteram filii; Euripidis celebris tragoediam casu mutilatam a grammatico aliquo ex minoris Euripidis Iphigenia suppletam esse, ita tamen, ut etiam de suo nonnulla adderet.

Sed de hac quaestione difficillima[1]) disputare non huius consilii est; nam propriae inventiones Euripidis etiam in forma depravata satis cognoscuntur itaque ex locis dubiis in nostro proposito tantum exitus (inde a vs. 1532) respiciendus erit.

De ventis deficientibus hic quoque legitur.[2]) Mentione dignum est, quod de causa sacrificii in hac fabula praeter Calchantis responsum nihil traditur neque usquam vestigium apparet Dianam ab Agamemnone laesam esse.[3]) Wilamowitzius l. c. p. 253 iure monuit, hoc modo sacrificium virginis paene rem scelestam ad vatis arbitrium patratam apparere.

Narratione de Iphigenia Aulidem arcessita, quam iam priores poetae pluribus excoluisse videntur, Euripides ita usus est, ut variam implicationem efficeret .Agamemnonem, postquam nuntius Mycenas abiit, fallaciae paenitet itaque alteram epistulam missurus est: Iphigenia domi maneat; nuptias dilatas esse. Casu accidit, ut Menelaus servo comprehenso et litteris resignatis de mutato consilio certior fiat. Atrei filiis vehementer altercantibus nuntiatur, matrem cum filia adesse. Menelaum tantopere fratris miseret, ut se a coepto recessurum esse declaret. Sed mira quadam animi volubilitate laborans nunc Agamemno respondet, nisi filiam exercitui mactandam praebeat et ipsi et genti regnoque suo exitium fore, scilicet vana ambitione commotus; deinde Clytaemnestram cum Iphigenia et Oreste parvulo advectam ambiguis anxiisque verbis salutat. Mox Achilles casu Cly-

---

1) Weckleinus Z. f. ö. G. XXIX 731 sq. G. Hermannum (Opp. VIII 218) secutus de genuina fabula restituenda vel segreganda desperat.

2) Haud tanti momenti est, si alibi de procellis adversis dicitur. Cf. I. Kvicala in Symb. phil. Bonn. p. 645 sq., inprimis 648 sq., Koechlium ad I. Taur. vs. 15, Weckleinum Annal. phil. t. CXIII p. 8. Nam quae res est ira numinis utraque ratione apparet.

3) Cf. e. g. vs. 89 sq. 353: *κᾆτ' ἐπεὶ Κάλχας ἐν ἱεροῖς εἶπε, σὴν θῦσαι κόρην*, ubi certe, si Agamemno aliquam culpam contraxisset, Menelaus irritatus eam non omitteret; vs. 745. 878: *θέσφατ', ὥς γέ φησι Κάλχας.* vs. 1200 sq. Clytaemnestra Agamemnoni obicit, dicendum fuisse: *κλῆρον τίθεσθε παῖδ' ὅτου θανεῖν χρεών*, sed nihil de proprio coniugis delicto. Cf. etiam vs. 1264 et 1270. — Quodsi Aeschylum quoque neque de voto neque de venatione Agamemnonis tradit, id ex consilio huius vatis factum esse cognovimus.

taemnestrae obviam fit et imprudens futurus socer appellatur. Mutuus utrimque stupor ob doli ignorantiam ortus per servum senem tollitur, qui vero consilio Agamemnonis revelato vehementem indignationem excitat. Achilles feminis lamentantibus promittit, se id scelus impediturum esse, sed paulo post nuntiat, exercitum summo furore litationem expetere; nihilominus se tutelam virginis, dum spiret, non omissurum esse.

Permagna interim in Iphigeniae animo commutatio. Nam Achillis oratione audita repente progreditur et pollicetur, se libenter sacerdoti praesto fore. Hic primum eam in lucem procedere videmus. Veteribus criticis talis animi elatio nimis repugnare visa est.[1]) Schillerus contra in hac fabula — alias haud uno loco vituperanda — Iphigeniae potissimum personam pulchre et amabiliter excogitatam putabat: hanc infirmitatis et roboris, animi anxii, mox fortissimi coniunctionem venustam quandam naturae imaginem praebere. Itemque God. Hermannus praef. ad I. Aul. p. VIII optime inventum censet, quod virgo, „quae ex domesticae vitae umbra in castrensem ad conubium cum ignoto viro adducta est", modo timida et mollis conspicitur; postquam autem in atrocissimae mortis necessitatem coniecta sit, eam fortiter suscipiat. Et certe Euripides hic tali laude dignus est.

Achilles magnanimitate Iphigeniae captus eam vehementer uxorem expetit; constantia puellae minime fracta sese cum armis ad aram affore pollicetur, si forte animum mutet. Illa autem, ubi matrem rogavit, ne lugeat neu mortem suam ulciscatur, strenue ad sacrificium abit.

Huius tragoediae finem inde a vs. 1532, qualem nunc habemus, non ab Euripide profectum esse, iam pridem intellectum est. Ex multis discrepantiis, quas viri docti indagaverunt, ea fortissima videtur, quod interpolator „Achillem . . . . . Iphigeniam non interficientem quidem, sed tamen in sacrificio sacras caerimonias obeuntem fecit" (G. Hermannus praef. ad I. Aul. p. XXVIII). Dolemus, quod venusta imago huius iuvenis adeo turbata est. Iphigenia quidem in hac suppositicia parte

1) Cf. Aristot. Poet. cap. XIV: *ἔστι δὲ παράδειγμα . . . τοῦ ἀνωμάλου ἡ ἐν Αὐλίδι Ἰφιγένεια, οὐδὲν γὰρ ἔοικεν ἡ ἱκετεύουσα τῇ ὑστέρᾳ.*

sibi ita constat, ut patri gratulata sese generose sacerdoti offerat. Miro modo omnes ipso litandi momento oculos avertunt, mox gladii ictu audito cervam caesam vident, quam a dea hostiam vicariam datam esse, Calchas declarat. Nuntius haec omnia Clytaemnestrae narrans suspicatur, Iphigeniam ad deos elatam esse, quod Agamemno confirmat.

Certe multa in hisce a genuino exitu non abhorrent, cuius fragmentum apud Aelianum exstare inde a Porsono intellectum est; cf. Hist. anim. VII 39: (ὁ δὲ Εὐριπίδης ἐν τῇ Ἰφιγενείᾳ·)

> ἔλαφον δ' Ἀχαιῶν χερσὶν ἐνθήσω φίλαις
> κεροῦσσαν, ἣν σφάζοντες αὐχήσουσι σὴν
> σφάζειν θυγατέρα.

Apparet Dianam haec verba loqui; sed ad quem conversa sit, haud consentitur. Bangius l. c. p. 108 sq. hoc fragmentum vel omnino in illa tragoedia locum habuisse negat. Zirndorferus p. 28 ea verba ab iracundo Achille cum universo exercitu pugnaturo dicta esse credit, „σὴν . . . θυγατέρα" autem ad Clytaemnestram adstantem pertinere. Sed maximam veri speciem habet G. Hermanni coniectura (Opp. VIII 241 sq.), hic solam Clytaemnestram a Diana appellari, dum Agamemno et exercitus Iphigeniam re vera caesam putant. Etiam de origine hodierni exitus G. Hermanni opinio, quam posteriore aetate amplexus est, praeferenda videtur[1]): codicem illum, quem interpolator possidebat, ultimo folio destitutum fuisse itaque orationem, quam excidisse videbat, ab illo librario suppletam esse.

Ceterum omissum nolim hasce duas fabulas inter se comparanti haud uno loco et in factis et in personis discrepantias quasdam occurrere.

De voto in Iph. Aul. non commemorato iam diximus. — Aliter atque in I. Aul. Iphigenia I. Taur. vs. 25. 818 sq. narrat, se ab Ulixe Aulidem perductam esse et matre et Oreste (vs. 373) domi relictis. Weckleinus quidem l. c. p. 731 nimis progressus omnes locos, ubi Orestes sese in I. Aul. exhibet, interpolatori tribuit. Sed Euripidis, poetae maxime tragici, admodum intererat ut et matris et fraterculi personis tristitia augeretur. Id autem negari non poterit, sic eam tragoediam aliquantum ad miseriam domesticam delabi, Iphigeniam

---

1) Cf. Praef. ad Iph. Aul. p. XVIII sq. et Opp. VIII 218.

Tauricam contra etiam hac ratione pluris aestimandam esse. Ibi enim (I. Taur. vs 359 sq.) admodum efficax est, quod mater domi diem nuptiarum celebrat, dum filia Aulide ad caedem ducitur. Ulixis fallacia in Iph. Taur. (cf. inpr. vs. 24. 521) fortiore odio descripta videtur quam in Iph. Aul. (cf. vs. 107. 520. 1362); Achillis generositas autem in Iph. Taur. nullo verbo indicatur, immo eum hic ab Iphigenia vel inter conscios doli numerari puto (cf. I. T. vs. 527. 842). Itaque etiam nusquam in Iph. Taur. vestigium est, Iphigeniam olim mortem pro patria libenter suscepisse: Aulidem et bellum Troianum detestata potius Graecis acerbe maledicit (cf. inpr. I. Taur. vs. 333 sq. et 384 sq.).

Attamen oportet respiciamus, utramque fabulam non modo alio consilio, sed etiam alio tempore scriptam esse.

Quae de operibus scenicis post Euripidem scriptis servata sunt, magis litterarum quam argumenti causa spectanda erunt.

De Polyidi tragoedia apud Aristotelem Poet. cap. XVII 10 haec traduntur: *Ὀρέστης ἀνεγνώρισεν*[1]) . . . . *κατὰ τὸ εἰκὸς εἰπών, ὅτι οὐκ ἄρα μόνον τὴν ἀδελφήν, ἀλλὰ καὶ αὐτὸν ἔδει τυθῆναι· καὶ ἐντεῦθεν ἡ σωτηρία.* Ille poeta igitur Euripidem secutus fuerit, nisi quod cognitio non per epistulam, sed Orestis verba fortuito elapsa effecta est.

Tragicorum Romanorum minuta fragmenta etiam hic auctoritatem Euripidis satis comprobant.

Iphigeniae, quam Naevius scripsit, unum fragmentum exstat (Ribb. Fr. tr. lat. p. 9), de quo coniecturas habes apud Ribbeckium.[2])

Ennium in Iphigenia sua (fr. 38—43 R.) multa verbo tenus ex Euripide transtulisse, Duentzerus Mus. Rhen. V 442 sq. ostendit. Sed mox Bergkius Ind. lectt. aest. Marb. 1844 inpr. p. XIV sq. contendit, Sophoclis quoque tragoediam Ennio contaminanti ante oculos fuisse, cui Schlie l. c. p. 83 ita assentitur, ut Euripidem illi viro cordato non satisfecisse dicat. Iphigenia autem hic quoque viraginis partes egisse videtur (cf. inpr. fr. IX et X R.). Achillem a partibus eius stetisse docet fr. VIII. Si in servatis frustulis id modo

---

1) Koechlius l. c. p. Anm. 99 iure conicit: *ἀνεγνωρίσθη*.
2) Röm. Trag. p. 50—53.

ab Euripide discrepat, quod militis chori vice funguntur (cf. fr. III), ideo non oportet Sophoclis fr. 287 N. — ceterum senarium versum — huc trahi.

De Pacuvii Chryse (cf. Ribb. p. 86—90 et 281—86) admodum in caligine versamur, quamvis ingeniose Welckerus (Gr. Tr. 1164—95) eum inprimis ex Hygino et operibus anaglyphis restituere conatus sit. Quae ex Hygino huc spectare videbantur, iam nunc breviter afferam. Traditur enim (fab. 120. 121) Iphigeniam signo illo Taurico sublato cum Oreste et Pylade „ad insulam Zminthen ad Chrysen sacerdotem Apollinis" delatam esse, cuius filia Chryseis olim ab Apolline Chrysen nepotem pepererat. Cum Chryses senior fugientes iam Thoanti tradere vellet, „Chryseis audiit, eos Agamemnonis filios esse, quae[1]) Chrysi filio suo, quid veri esset, patefecit,[2]) eos fratres esse et Chrysen Agamemnonis filium esse. Tum Chryses re cognita cum Oreste fratre Thoantem interfecit et inde Mycenas cum signo Dianae incolumes pervenerunt." Quid Sophoclis tragoedia ‚Chryses' inscripta cum hac contexta narratione praeter titulum commune habuerit, minime extricari potest. Forte in illa nihil nisi Chryses Homericus et Agamemnonis superbia argumentum praebuit, praesertim cum eam ante annum 415 actum esse sciamus[3]) et ut apud Aeschylum ita apud Sophoclem omnino nullum vestigium expeditionis Tauricae exstet.

Ex Welckeri et Ribbeckii coniecturis solum Pacuvii fr. XIV („Inveni, opino, Orestes uter esset tamen.") Certam ansam praebet. Ubi Roberti[4]) sententia placet, regem illum[5]) investigantem, uter Orestes sit multo verisimilius Chrysen sive avum sive nepotem appellandum esse quam Thoantem; illius enim re vera interesse poterat consanguineum suum sciscitari. Sed omnia cetera de Chryse Pacuvii plane incerta manere debebunt, quoniam minime constat, quatenus Hyginus ex hoc poeta hauserit. De Iphigenia admodum dubiumest, num omnino in hoc

---

1) Sic enim cum Koechlio p. 34 hunc impeditum locum scribendum puto, cuius coniecturae etiam verba sequentia multo clariora reddunt.

2) Adhuc creditum erat, eum filium Apollinis esse.

3) Cf. Wilamowitzium l. c.

4) Arch. Zt. XXXII 134,3.

5) Cf. Cic. Lael. VII 24.

opere Pacuvii aliquas partes habuerit,[1]) quod haud facile tot personis refertum fuerit[2])

Etiam ex Accii Agamemnonidis nihil lucrari possumus. Viri docti Hygini fabulam 122 huc traxerunt. Ubi narratur ad Electram falsum nuntium venisse, fratrem suum cum Pylade apud Tauros immolatos esse; quo factum esse, ut Aletes, Aegisthi filius, sibi Mycenis regnum arrogaret. „At Electra de fratris nece Delphos sciscitatum est profecta. Quo cum venisset, eodem die Iphigenia cum Oreste venit eo. Idem nuntius, qui de Oreste dixerat, dixit Iphigeniam fratris interfectricem esse. Electra, ubi audivit id, truncum ardentem ex ara sustulit voluitque inscia sorori Iphigeniae oculos eruere."[3]) Cognitione facta eos Mycenas rediisse et Orestem Alete occiso dignitatem paternam suscepisse.

Certe huic narrationi, quae vel Goethio[4]) satis fecunda materia videbatur, actio scenica subest. Ribbeckius quidem aliquo iure fr. I. Agamemnonidarum Electrae Iphigeniam petenti tribuit.[5]) Cum Erigona[6]) Accii forte Hygini narratio de hac filia Aegisthi et Clytaemnestrae coniungi potest. —

Si apud Hyginum de Thoante occiso legitur (fab. 121), Robertus[7]) post Prellerum[8]) id ad poetas Romanos recurrere suspicatus est.

Ubinam in Iphigenia Aulidem ducenda Ulixes[9])

---

1) Si inter Pacuvii fragmenta legitur (XXII R.) „In turba Oresti cognita agnota est soror", notaverim, id incertae sedis esse.

2) Cf. Robertum l. c.

3) Ribbeckius Röm. Trag. 470,1 eleganter suspicatur ‚exurere'. Tamen traditam lectionem retinuerim, nam ‚oculos eruo' est locutio satis vulgata, ut Forcellinus s. v. eruo docet; locis ibi allatis addi potest Martial. III 92,2.

4) Cf. Bd. XXIII 209.

5) Röm. Trag. 470.

6) Ad Iphigeniam certe fr. VI referendum est; etiam Diana fr. IV ab ea invocari potuit. Quamquam illud numen in hac tragoedia cum Erigona quoque rem habuit, si quidem re vera Hygini fabula (122) de Erigona a Diana ex Orestis manibus servata et in Atticam translata ex Accio fluxit. De Sophoclis Erigona autem minime constat.

7) l. c. p. 135.

8) Ber. der sächs. Ges. der Wiss. v. 1850, Anm. 43.

9) Qui iam apud Euripidem I. Taur. vs. 24 hoc munere fungitur.

et Diomedes prodierint, ex Hygino (fab. 119) non enucleari potest.[1])

Antequam fabulae nostrae fata inde ab Alexandrinorum poetarum temporibus persequimur, hic locus videtur, ut quam brevissima lustratione[2]) spectemus, quomodo ea ex pulpitis maxime Euripide iam inter omnes nota, in monumentis expressa sit. Quo in conspectu singula, quae quidem ad communem speciem recurrere videantur, ipsius actionis tempore disposita complecti studebo.

De monumentis ad Iphigeniam Aulidensem pertinentibus.

Mitto enumerare, ubi de hac re actum sit; tamen inprimis ad egregiam disputationem Iahnii[3]) retulerim.

A. Iphigeniam ante sacrificium morti devotam videmus:

1. In ara, quam dicunt Cleomenis = Overb. H. G. XIV 7. Vorlegebl. Ser. V Taf. IX 1.
2. In pictura Pompeiana = Overb. H. G. XIV 4. Helbig 1305. Vorlegebl. Ser. V Taf. VIII 2.

B. Ipsum momentum litandi monumenta duplici modo exhibent:

I. Iphigenia minime repugnans cum regio decore secespitae obviam it. Huc pertinet:

1. Speciosum vasculum apulum = Overb. H. G. XIV 2. Vorlegebl. Ser. V Taf. IX 3, ceterum unum quoad nunc quidem scimus, quod sacrificium Iphigeniae ostendit. Gemma, quam Overbeckius ut cum imagine huius amphorae congruentem commemorat, adhuc nondum vulgata videtur.
2. Quod multum distat, opus tessellatum Emporiis inventum = Arch. Ztg. 1869 Taf. X. Vorlegebl. Ser. V Taf. X 1.

---

1) Coniecturas habes ap. Schlie l. c. p. 84 et J. Schmidtium Ul. Posthom. p. 9.

2) Pauca mihi notanda sese obtulerunt, quae forte alias publici iuris facere licebit.

3) Arch. Beitr. 378 sq.

II. Iphigenia ad aram *portatur* bracchiis vehementer porrectis:

1. In nota pictura Pompeiana, nunc etiam Vorlegebl. Ser. V Taf. VIII delineata.
2. In urnis etruscis = Brunn Urne etr. Taf. XXXV—XLVII 1—26.

Timanthis opus, siquidem sacrificium ipsum exhibuit, cum priore classe coniungendam esse, inprimis docet Plin. XXXV 10, 36: qua *stante* ad aram peritura.[1])

De monumentis ad Iphigeniam Tauricam pertinentibus.

De singulis satis erit diligentem disputationem Roberti[2]) appellare.

I. a) Orestem collapsum et a Pylade levatum in ea compositione aspicimus, cuius exempla Robertus l. c. p. 138 sub A C D composuit, inter quae proxime ab origine sua abesse puto Winkelm. M. I. 150 = Benndorf-Schoene Lateran 469.

b) Admodum similis est Overb. H. G. XXX 3 media compositio, nisi quod hic etiam Pylades inertem tristitiam ostendit.

II. 1. Miro modo ea monumenta conspirant, quae Orestem et Pyladem ante Iphigeniam ductos exhibent:

a) Pictura Pompeiana, Arch. Zt. 1875 Taf. XIII publici iuris facta.

b) Pictura Herculanensis = Overb. H. G. XXX 9, Helbig 1334 in spatio magis diducto.

c) Media compositio in sarcophago Weimarano = Overb. H. G. XXX 2 et gemma Arch. Zt. 1875 Taf. XII delineata.

Num archetypus huius compositionis (a—c) cum imagine Timomachi cohaereat, non discerni potest.[3])

---

1) Aliter nuperrime W. Klein Arch. ep. Mitth. a. Oest. XI 2, 215.

2) Arch. Zt. 1875 p. 133 sq.

3) Cf. Robert l. c. p. 134.

d) In neglegenti pictura vascularia Rochette Mon. Ined. pl. 41, Heydemann No. 24 Iphigenia ante iuvenes vinctos sedet.

2. In singulari amphora Ruvensi Overb. H. G. XXX 4, Heydem. 3223 Iphigenia ad amicos aggreditur, forte solatium quoddam afferens.[1]

III. Instans sacrificium[2] agnosco Overb. H. G. XXX 1 in sinistra compositione, cuius multo pulchrius exemplum apud Zoegam Bassir. Taf. 56 exstat.

IV. 1. Monumentis, quae epistulam Pyladi ab Iphigenia oblatam ostendunt, Vogelius l. c. p. 44 merito communem fontem vindicavit:

a) Overb. H. G. XXX 7.

b) Pictura amphorae M. d. I. XI 66 delineata.

c) vasculum Neap. = Vorlegebl. 13, 1 ubi Pylades[3] tantum apparet.

2. Huc collocanda videtur memorabilis compositio apud Brunnium Urne etr. LXXXIV 1. 2 et LXXXV 1 obvia.

V. Iphigeniam ab amicis cognitam secundum unam normam complures sarcophagi semper sinistra parte exhibent: Overb. H. G. XXX 2. 3 et Vorlegebl. 13, 1.

VI. Iam signum Dianae auferendum est:

1. Haec forte res agitur in pictura vascularia Overb. H. G. XXX 8.

2. In speciosa imagine Pompeiana Helbig 1333 = Vorlegebl. Ser. V Taf. X, cuius compositio magis attenuata in sarcophago Overb. XXX 3 dextra parte redit: Iphigenia videlicet Thoanti persuadet, ut lustrationem permittat.[4]

Ex comparatione cum illa imagine Pompeiana, quam sub II 1a posui elucet, de eodem fonte cogitandum esse. Ubi hanc compositionem, in qua etiam Thoantis figura optime inventa est, archetypum praebuisse opinor.

3. Eandem scenam magis progressam videmus Vorlegebl. 13, 2 (media pars).

---

1) Cf. Vogel Scenen euripid. Tragöd. in griech. Vasengem. I 1885. p. 37.

2) Aliter quidem Robertus l. c.

3) Aliter iudicant Reifferscheid Annali 1862 p. 116 sq. et Brunnius Ber. der München. Ak. v. 1887 p. 270.

4) Cf. Robert. l. c.

4. Lustratio in gemma Overb. XXX 6 expressa videtur.

VII. Fuga ipsa duplici ratione exhibetur:

1. Ita ut Graeci navem ascendentes et acriter pugnantes appareant cf. Overb. XXX 1. 2 et Vorlegebl. 13, 2, tertio semper loco.

2. Sine proelii vestigio:

a) In vasculo Capuano, solum ex Helbigii descriptione B. d. I. 1868 p. 139 noto.

b) In aedicula Bonnensi = Jahrbb. des Rheinl. I. Taf. III. Ubi Iphigenia utrimque ab amicis circumdata ad navem progeditur.

Ex hac communi specie aliquis conexus inter a et b vix concludi poterit.

Ad litteras redeo. Intelligitur in iis, quae nunc sequuntur, minus de fabula nostra artificiose exculta agi quam, quales vicissitudines diversis temporibus subierit; attamen id quoque ad vitam eius pertinet.

Non omiserim a Suida s. v. Ἰφιγένεια Pherecydis Lerii opus quoddam ‚περὶ Ἰφιγενείης‘ inscriptum commemorari. Valde dolendum, nihil ex eo servatum esse. Nam certe ille auctor antiquitatibus Atticis studiosus ibi haud minime Brauroniam religionem tractavit. Forte hic peculiaris est titulus ex aliquo maiore opere eius desumptus.[1])

De aetate Simonidis Carystii, qui teste Suida s. v. ἐποποιός fuit composuitque: τὴν ἐς Αὐλίδα σύνοδον τῶν Ἀχαιῶν, τριμέτρων βιβλία β', περὶ Ἰφιγενείης ἕν, nihil constat. Sed iam res epica trimetro videlicet iambico tractata ad posteriora tempora monstrat. Admodum verisimilis est Bernhardii coniectura, hunc extremum titulum cum carmine Aulidensi coniungendum esse. Certe hinc quoque ad nostram quaestionem multa disceremus, praesertim cum Simonides Euboeae incola sine dubio multas fabulas domesticas protulerit.

De Rhinthone Pollux VII 61 haec tradit:

ἐν Ῥίνθωνος Ἰφιγενείᾳ τῇ ἐν Ταύροις·
ἔχωσα καινὰν φαινόλαν κἀπαρτίω.

Idemque VII 90 Ῥίνθων δὲ (μέμνηται) Κολοφωνίου τε καὶ καλτίου καὶ ὄγκου ἐν Ἰφιγενείᾳ τῇ ἐν Αὐλίδι.

1) Cogitaveris de libris decem historiarum cf. FHG I 70: Ἱστορίαι (θεογονία, αὐτοχθόνες, γενεαλογία).

Poetae Tarentino, qui omnino fabulas poetarum tragicorum in ridiculum transferre solebat, hic Euripidem ante oculos fuisse credideris; quomodo autem rem finxerit minime apparet. Forte illa descriptio vestiaria ad Iphigeniam ipsam referenda erit.[1])

Callimachus h. in Dian. vs. 263 sq. Agamemnonis superbiam et sacrificium commemorat; eodem carmine paulo ante legimus vs. 228 sq:

. . . . . . σοὶ δ' Ἀγαμέμνων
πηδάλιον νηὸς σφετέρης ἐγκάθετο νηῷ
μείλιον ἀπλοΐης . . . .

De hoc piaculo aliunde non constat. Comparari possunt fabellae de Agamemnone Dianae templa dedicante, qualis etiam Aulide perhibebatur.[2]) Num Callimachus ea nisus hoc loco verbis (νηό et νηῷ) ludit? — Simulacrum ex Tauris in Atticam ductum ibidem vs. 173 sq. tangitur.

Sed longe mutata fabula nostra apud Lycophronem invenitur eosque, qui simul tractandi erunt. De loco memorabili ad sacrificium pertinente iam supra dicendum fuit; ante quem vs. 323 sq. legitur:

σὲ δ' ὠμὰ πρὸς νυμφεῖα καί γαμηλίους
ἄξει θυηλὰς στυγνὸς Ἴφιδος[3]) λέων
μητρὸς κελαινῆς χέρνιβας μιμούμενος.

Iam pridem intellectum est, eos versus de Neoptolemo Iphigeniae filio Polyxenam mactante accipiendos esse. Quae origo eius hic et apud Duridem Samium[4]) eiusdem fere aetatis scriptorem primum obviam fit. Achilles autem ob fabulam Aulidensem facile cum

---

1) In priore fragmento de ornatu sacerdotali Iphigeniae cogitari potest.

2) Cf. pars I fin. Non omiserim teste Procopio Bell. Goth. IV 22 Geraesti in insula Euboea marmoream navem monstratam esse quam Agamemno Dianae dedicasse dicebatur. cf. O. Jahn Arch. Zt. 1863 p. 65.

3) Haec quoque forma ostendit, quam vario modo nomen Ἰφιγένεια decurtari potuerit. Etiam formam Ἰφιάς illinc ortam esse patet. Sin autem apud Apollon. Rhod. I 312 Dianae potissimum sacerdos sic appellatur, casui dandum erit. Vocem Ἶφις, cum insolentior et obscurior esset, Lycophron scilicet libenter recepit, sed ideo non plane de suo finxerit, ut Bachmannus ad vs. 189 conicit. De nominibus a stirpe ἶς derivatis cf. etiam Lehrs Arist. [3] 460.

4) In historiis eius. cf. FHG II 470. Quodsi hic de Iphigenia Scyrum deducta narratur (huc etiam Lycophron vs. 185 alludit), Deidamia ante oculos fuit.

Iphigenia societatem inire poterat[1]), praesertim cum ipse quoque antiquitus in terram Scythicam remotus perhiberetur.[2]) Sine dubio autem Alexandrini demum hinc ansas ceperunt de amoribus Achillis et Iphigeniae fabulandi.[3]) Sic apud Lycophronem vs. 183—202 legimus de Achille per quinquennium in terris borealibus sponsam suam quaerente.[4])

Maioris forte momenti sunt, quae de Iphigenia Thesei Helenaeque filia narrantur. Wilamowitzius l. c. p. 258 ostendit Lycophronem hanc genealogiam suo modo indicare (cf. inprimis vs. 103) et Duridem[5]) quoque eam protulisse. Plura apud Pausan. II 22, 7 repperiuntur, quem locum diligentius reputare oportet. Commemoratur, Argis sacellum Ilithyiae fuisse ab Helena post partum Iphigeniae dedicatum; illam enim a Theseo raptam, cum a fratribus reduceretur, hanc prolem Argis clam edidisse et Clytaemnestrae, quae tum iam Agamemnonis uxor fuisset, filiae loco tradidisse. Quae nullo certo auctore feruntur (‚*λέγουσιν*'); deinde sic pergitur: *καὶ ἐπὶ τῷδε Εὐφορίων Χαλκιδεὺς καὶ Πλευρώνιος Ἀλέξανδος ἔπη ποιήσαντες, πρότερον δὲ ἔτι Στησίχορος ὁ Ἱμεραῖος κατὰ ταὐτά φασιν Ἀργείοις, Θησέως εἶναι θυγατέρα Ἰφιγένειαν.* Si Stesichorum omittimus, horum auctorum tempore prior est Alexander Aetolus, qui fere aequalis Lycophronis fuisse videtur. Sed ex Pausaniae verbis efficitur, illam narrationem etiam antea in ore populi videlicet Argivi pervulgatam fuisse.

De Helena quidem a Theseo rapta difficilis quaestio est. Homero haec fabula ignota videtur;[6]) ab alia autem parte respiciendum, eam iam in arca quae vocatur

---

1) Iam apud Euripidem I. Aul. 1410 sq. Achilles constantiam puellae tantopere admiratur, ut eam re vera uxorem cupiat.

2 Cf. Wilamowitzium l. c. p. 251, qui iam Archilochum (cf. fr. 48 B.) de Achille immortali rege Scytharum cecinisse notat.

3) Bachmannus contra ad Lyc. 183 non dubitavit vel illam originem Nopteolemi carminibus cyclicis assignare.

4) Fundamentum huius narrationis praebuit ille *Ἀχιλλέως Δρόμος*, quae appellatio primum tantum de Achille ibi cursus exercente accipiebatur. — Lycophronis autem discrepantes latebras tractare vel etiam, quae scholiastae ut ad vs. 183 commentati sunt, ne historiae quidem fabulae nostrae interest.

5) Cf FHG II 470 fr. III.

6) Nam versus ille *Γ* 144 iam veteribus haud una ratione suspectus videbatur. cf. Lehrs Arist.[3] 183. Aristonic. Friedl. p. 84.

Cypseli,[1]) deinde in fragmento decimo (*B.*) Alcmanis fortuito servato apparere itaque rem satis notam fuisse.

Quomodo autem Helena cum Iphigenia potissimum coniungi potuerit, Wilamowitzius non sine veri specie enucleare studuit: nam Pausanias l. c. paulo post tradit, in vicinitate huius sacelli Ilithyiae dedicati Hecates templum stetisse, quam deam aliquo modo cum Iphigenia cohaerere parte I statuimus. Accedit quod Helena quoque antiquitus similes facultates ut Iphigenia habuisse videtur[2]), ut etiam hinc illa genealogia explicanda foret. Quodsi de Helenephoriis in honorem deae Brauroniae celebratis audimus, id coniecturae minus aptum puto.[3])

Utut res se habuit, talis narratiuncula, qualis apud Pausaniam profertur, non antiquioris notae ducenda est[4]) itaque etiam de Stesichoro dubito maxime Wilamowitzii disputatione motus, num omnino in carminibus eius locum habuerit.

Quae Wilamowitzius p. 260 sq. de vetusta fabula Rhamnusiorum scripsit, poetice excogitata, sed prorsus incerta sunt.

Euphorionem hanc originem Iphigeniae cum narratione Brauronia contaminasse, Wilamowitzius l. c. p. 259 ostendit. De fr. LXXXI Mein. parte I p. 8,1 dicendum fuit. Nominis Iphigeniae hic auctor miram etymologiam invenit:

. . *οἵνεκα δή μιν*
ἶφι βιησαμένῳ Ἑλένη ὑπεγείνατο Θησεῖ.[5])

= fr. LXI Mein.; deinde de Agamemnone Iphigeniam Aulide mactante et ursa supposita narratum fuit.[6])

Apud Nicandrum victima vicaria taurus fuit, unde nomen terrae Tauricae et deae Tauropolae deri-

---

1) Cf. Paus. V 19,3. Dio Chrys. p. 163 R.

2) Id vel ex iis cognoscitur, quae nobis tradita sunt. cf. inprimis Herod. VI 61 et Usenerum Mus. Rhen. XXII 359 ultra modum tamen progressum.

3) Cf. Suchier p. 38 sq. — praecipue ob significationem, quam vocabulum *ἑλένη* hic habebat.

4) Cf. omnino quae Lehrsius de Helena exposuit Pop. Aufs.[2] inprimis p. 32 sq.

5) Itaque E. M. 480,18 ante ‚*Εὐφορίων*‘ ‚*Ἰφιγένεια*‘ inserendum est, non *Ἶφις*, quod voluit Bachmannus ad Lyc. 323.

6) Cf. Wilamow. l. c. De ursa iam Phanodemus tradidit. Cf. E. M. 747,57.

varetur.[1]) Quae alias apud Nicandrum de Iphigenia narrata fuerint, ex Anton. Liber. fab. XXVII = Schneider Nic. p. 64 apparent. Hic quoque de Helena Iphigeniae matre, simul autem de fabula Aulidensi quamquam a Thesei temporibus satis remota legitur. Quare classis retenta sit, ex breviario illo non cognoscitur.[2]) De Iphigenia in insula Leuce cum Achille coniuncta et ad deam Orsilochiam elata iam supra dicendum fuit.

Parthenii hoc fragmentum servatum est: (Mein. Anal. Alex. p. 284. fr. XXXI inc. sed.) . . . . . . *δείκελον λέγεται καὶ δείκηλον· σημαίνει δὲ ἄγαλμα ἢ ὁμοίωμα οἷον· „Δείκελον Ἰφιγόνης“ παρὰ Παρθενίῳ.* Hic igitur de simulacro quodam Iphigeniae dictum fuit, forte vetusto,[3]) quale Pausanias VII 26,7 se Aegirae vidisse scribit.

Simul hoc loco, quamvis longo intervallo distet, Nonnum commemoraverim, qui Dionys. XIII 104—19 in fabula nostra enarranda priorum poetarum opera consarsit.[4]) Eodem libro vs. 186

„*ἀγχίαλον Βραυρῶνα κενήριον Ἰφιγενείης*“

simpliciter ex Euphorione translatum crediderim.[5]) Sim versu insequenti „*εὐώδινος Αἴφδνης*“ obviam, fit hoc ad Iphigeniam ab Helena editam spectabit.[6])

Ex poetis Romanis non multum novi discitur; tamen haud inutile est, eos perlustrare, quo quisque modo hunce mythum proferat.

Lucretius illo sublimi loco (I 82 sq.) nostra fabula usus exemplum illius religionis proponit, quae „peperit scelerosa atque impia facta.“ Sequitur egregia descriptio

1) Cf. E. M. 747,57 et Wilamow. p. 260.

2) Nihil traditur nisi: *προεσήμαινον οἱ μάντεις ὅτι ἔσοιτο πλοῦς, ἐὰν Ἀρτέμιδι θύσωσι τὴν Ἰφιγένειαν.* Quae insequuntur cum hodierno exitu Iphigeniae Aulid. vs. 1584 plane concinunt.

3) Hoc tamen ex vocabulo *δείκελον* efficere non licebit; quod rarius usitatum itaque a Fraenkelio De verb. potiorib., quib. opera statuar. Graeci signific. non tractatum est. *Δείκελον* maxime apud auctores posterioris aetatis inveniri, conspectus in Steph. Thes. obvius docet.

4) Multa ex Euripide (cf. inprimis vs. 106. 115, etiam 110); sed non minus ex Lycophrone, qua de re Wilamowitzius p. 256 satis docuit. In versu 114 (*ἐχήνηΐδος . . . γαλήνης*) Aesch. Agam. 39 ante oculos fuerit.

5) Qui fuit mos poetarum Alexandrinorum. cf. Lehrs Arist.[3] 70,43 et Dilthey Cyd. 109,1.

6) Cf. quae Tzetzes ad Lyc. 143 exDuride refert.

sacrificii Aulidensis cum Aeschylea plane comparanda, ex quo poeta Lucretium hic multa repetivisse Munro in adnotationibus ad h. l. pluribus comprobavit. Formam „Iphianassai" (vs. 84) Lucretius ob eam rem adhibuisse videtur, quod omnino verborum antiquiorum studiosus erat. Koechlius quidem l. c. p. 24 iure monet, apud veteres plerumque Iphianassam Homericam eandem habitam fuisse quam Iphigeniam.

Propertius IV 1,109 funestam mactationem commemorat. Mentione dignum est quod III 7,21 de causa morae Aulidensis traditur:

Sunt Agamemnonias testantia litora curas,
Quae notat Argynni poena Athamantiadae.
Hoc iuvene amisso classem non solvit Atrides;[1]
Pro qua mactata est Iphigenia mora.

Hic igitur Agamemno in morte pueri amasii nimis occupatus ducis officium plane omittit; sed de ira Dianae nihil additum est. Facile conicias Propertium id ex Alexandrino quodam poeta elegiaco hausisse. De posterioribus auctoribus huius fabulae Prellerus Mus. Rhen. IV 404 sq. fusius disputavit. Origo eius videlicet inde deducenda est, quod apud Boeotos templum Veneris fuit Ἀργυννίς appellatae; ad hoc autem cognomen declarandum posteriore aetate narratum fuit Agamemnonem id sacellum in honorem Argynni cuiusdam dedicasse.[2] Certe sic culpa Atridae multo maior visa est.[3]

Vergilius Aen. II 116 breviter Iphigeniae fatum cum Polyxena comparat.

Horatio Satt. II 3,199 sq. Euripidis Iphig. Aulidensis obversatur, cum correctorem stoicum Agamemnoni obicientem facit, eum tantum „ob titulos . . . inanes" sacrificium filiae admisisse.

---

1) Vs. 22. 23. Hertzbergium secutus sum, cuius coniecturas etiam Schneidewinus Phil. I 377 probat; aliae medicinae obviae sunt in Baehrensii editione. De fabula ipsa quoque res satis impedita est. Schneidewinus l. c. iure notat, eam, cum tam breviter a Propertio indicata sit, a priore quodam poeta videlicet Alexandrino excultam fuisse, hic autem non Dianam, sed solam Venerem ad improbitatem simulque socordiam Agamemnonis puniendam classem graecam retinuisse. Cf. etiam A. Otto De fabul. Propert. p. 22.

2) Cf. testimonia a Prellero l. c. allata, inprimis Phanoclem ap. Clem. Al. Protr. p. 11. Athen. XIII p. 603 d. Plut. Gryll. c. 7.

3) Cf. Welcker Aesch. Tril. 356.

Ovidius omnino Euripidem sequitur. Sic Metam. XII 27 sq., ubi nulla mentio voti exstat. Itemque hinc est Ulixes Metam. XIII 183 sq. glorians, quod haud minime sua opera sacrificium virginis effectum sit.[1]) Plus de suo idem poeta Trist. IV 4,61 sq. admiscuisse videtur; hic enim res sic fingitur, ut Iphigenia demum Diana iubente illum cruentum ritum apud Tauros instituerit. Saepius Ovidium de Iphigenia apud Tauros sacerdote loquentem videmus ita tamen, ut non religiose servet, quae alias cecinerit. Sic Epp ex Pont. III 2,45 sq., ubi senex Scythicus tradit, antiquam legem huius terrae esse: „advena virgineo caesus ut ense cadat“ (vs. 56). Sed num Ovidius, quamvis tum illius regionis accola esset, re vera morem Geticum descriptioni suae intexuerit, valde dubito. Iis potius, quae ex Euripide inter omnes nota erant, libere usus videtur itaque etiam vs. 77 Heinsii emendatione non egebit. Itemque fabulam Euripideam non anxie sequuntur, quae Trist. IV 4,79 sq. obvia sunt; nam quod Iphigenia illic fratrem suum „vice sermonis“ agnoscit cum cognitione per litteras effecta bene coniungi possunt.

Fabulam nostram, quippe quam Euripides tractaverat, hisce temporibus satis notam fuisse, haud uno testimonio comprobatur:

Inter Senecae Suasorias tertia sic inscribitur „Deliberat Agamemnon, an Iphigeniam immolet negante Calchante aliter navigari fas esse.“ Ad quam materiam solitae ampullae suppeditantur.

Apud Senecam philosophum Agam. 158 sq. et Octavia 973 sq. sacrificium Aulidense sic tangitur, ut crudelitas facti eluceat.[2]) Illud votum Agamemnonis autem hisce temporibus prorsus evanuit, videlicet iisdem causis, quas de Euripidis Iphigenia Aulidensi cognovimus.

Non omiserim Lucianum *περ. ὀρχ.* c. 46 inter ea, quae pantomimo ediscenda sint, etiam fabulam Tauricam afferre.[3])

---

1) Hoc quoque apud Euripidem indicari cognovimus, cf. I. Taur. vs. 24. 521. Attamen de voto nihil legimus; nam vs. 184 „durae sortes“ item accipiendae erunt ut „*θέσφατα*“ in I. Aul. vs. 878. 1270.

2) Etiam Varro de patre ipso filiam mactante loquitur. Cf. Satt. Men. Buech.³ fr. 94. 95.

3) *Καὶ τὰ ἐν Σκυθίᾳ τῷ ἥρωι* (Orestae) *τετολμημένα*; ubi Iphigenia quoque suas partes agere debuit.

Animi causa Trimalchionem adiungo suo modo omnia permiscentem Petr. Sat. c. 59 „Agamemnon illam (Helenam) rapuit et Dianae cervam subiecit .... vicit scilicet (in pugna Troianorum et Parentinorum) et Iphigeniam, filiam suam, Achilli dedit uxorem. Ob eam rem Aiax insanit."

Restat, ut eas narrationes recenseamus, quae sine dubio posterioribus vel etiam postremis antiquitatis temporibus tribuendae sunt et, quamvis plerumque nullo certo auctore ferantur, ideo non genuinae fabulae in ore populi ortae appellari possunt, praesertim cum in poetarum et omnino scriptorum traditione niti soleant.

Ac primum quidem de Chrysae fabula dicam quae cum Iphigenia artissime cohaereat. Radices eius saeculo quinto a. Chr. natas esse, Wilamowitzius l. c. p. 257 iure suspicatus sit; sed quali forma nobis servata est, vetustiori aetati non vindicanda erit. De poetis tragicis nihil enucleandum esse, supra intelleximus. Certe autem prius de Chryse Agamemnonis filia narratum fuit quam de filio.[1]) Deam quandam Chrysen olim in terris septentrionalibus maxime Lemni cultam fuisse, adhuc cognoscitur;[2]) sed quomodo cum vetere Iphigenia comparanda sit, divinationi relictum est, qualem Od. Muellerus Dor. I 386 sq. protulit. Verisimilis est Wilamowitzii coniectura, Athenienses cum saeculo quinto hic stationem vectigalium haberent, domestici numinis Brauronii memores, sibi ex hac Chryse Agamemnonis filiam itaque Iphigeniae sororem finxisse. Monuerim iam apud Homerum aliam sororem exstare, quae Chrysothemis appellatur; quo facilius illa heroina Chryse huic generi inseri potuit. Chryseis mater autem in Iliade talem condicionem habet, ut inde postea de conubio cogitari posset.

De Chryse filia legimus in Eudociae qu. f. violario p. 736 Fl. . . . *καὶ γὰρ αὐτοῦ (Ἀγαμέμνονος) καὶ Χρυσηΐδος παῖδας γεγονέναι φασιν Ἰφιγένειαν καὶ Χρῦσην, ὧν ἀπὸ μὲν τῆς Χρύσης ὠνομάσθη Χρυσόπολις, πλησίον Χαλκηδόνος ἐν Βιθυνίᾳ.* Ubi narrationem de Iphigenia Chryseidis filia recentissimae originis esse apparet, quippe quae fabulam Aulidensem prorsus subvertat. Alibi sem-

---

1) Cf. etiam E. Petersen Arch. ep. Mitth. a. Oest. V p. 159.
2) Cf. Preller Gr. M. I⁴ 313.

per de Chryse filio traditur. Sic in Steph. Byz. s. v. *Χρυσόπολις* et E. M. s. id. v., pluribus apud Dionys. Byzant., qui inter varias derivationes vocis Chrysopolis etiam hanc affert:[1]) *ἐνταῦθα γὰρ αὐτὸν (Χρύσην) φεύγοντα κατὰ δέος Αἰγίσθου καὶ Κλυταιμνήστρας ἀφικέσθαι διανοούμενον ἐς Ταύρους εἰς Ἰφιγένειαν περαιοῦσθαι τὴν ἀδελφήν· ἤδη γὰρ εἶναι τὴν Ἰφιγένειαν Ἀρτέμιδος ἱέρειαν· νόσῳ δὲ καμόντα καταλιπεῖν ἀφ' ἑαυτοῦ τῷ χωρίῳ τοὔνομα.* Idem fere in loco Hesychii Milesii, quem Berkelius ad Steph. Byz. comparavit, et apud Tzetz. ad Lyc. 183.

Aliquam veri speciem habet, talem fabulam etiam poetis scenicis materiam praebuisse vel partim ab iis inventam esse. Sed Chryses, urbis Chrysopolis eponymus, in hac regione fictus erit; quo tempore id factum sit, plane obscurum est, certe autem non antiquiore, praesertim cum intellegatur, Chrysen sororem Iphigeniam apud Tauros quaerentem secundum Orestis demum migrationes inventum fuisse.

Multo graviores mutationes fabula nostra ab iis perpessa est, qui eam aut pragmatice tractaverunt aut mirum quantum exornare studebant. Quae hoc extremo loco summatim tangere liceat.

Inprimis sacrificium Iphigeniae ad rationem Euhemeristicam pellexit. Cuius rei vestigium agnosco in iis quae apud Pausan. IX 19,7 leguntur: *λέγεται δέ, ὡς ἐν Αὐλίδι πνεῦμα τοῖς Ἕλλησι οὐκ ἐγίνετο ἐπίφορον, φανέντος δὲ ἐξαίφνης ἀνέμου σφίσιν οὐρίου θύειν τῇ Ἀρτέμιδι ὅτι ἕκαστος εἶχε θήλεά τε ἱερεῖα καὶ ἄρσενα ὁμοίως καὶ ἀπ' ἐκείνου διαμεμένηκεν ἐν Αὐλίδι πάντα τὰ ἱερεῖα εἶναι δόκιμα.*

Deinde apud Dict. Cret. I c. 19 sq. haec fere narrantur. Caprea sacra ab Agamemnone occisa, horrendam luem irrupisse. „Mulier quaedam deo plena Dianae iram fatur" et aperit Iphigeniae sacrificium opus esse. Agamemno cum id renuat, regio honore spoliatur et quattuor duces substituuntur. Ulixi Mycenas profecto contingit, ut noto dolo Iphigeniam secum abducat. Agamemno fugam parat, sed per orationem Nestoris retinetur. Dum virgo sacrificio adornatur magna tempestate coorta „vox quaedam luco emissa" nuntiat, deam eius misereri,

1) Cf. FHG. VI 189 et Geogr. min. II 90 sq.

sed „curarent id quod in vicem virginis oblatum animadverterent, immolare". Achilles epistula a Clytaemnestra[1]) seorsum accepta commotus Iphigeniam abstrahit. Interim „cerva forma corporis admiranda ante ipsam aram intrepida consistit." Quam Graeci divinitus oblatam rati sacrificant. Tum plane serenitas caeli facta est. Achilles cum iis qui rei sacrae praefuere clam omnes Iphigeniam regi Scytharum, qui eo tempore aderat, commendavere. Agamemno dignitate sua recepta ceteros duces ad convivium invitat.

Etiam fortius deflectunt, quae Dares Phryg. c. XI sq. tradit. Postquam Graeci Athenis classem collegerunt, oraculum Delphicum consulentibus respondetur, Troiam decimo anno captum iri. Calchas eodem tempore a Phrygiis Delphos missus ab Apolline iubetur, graecae expeditionis participem fieri. Cum eos iam navigaturos tempestates retinent, Calchas per augurium respondet, ut Aulidem conveniant. Ubi Agamemno „Dianam placat" — qua re mimine indicatur. Deinde classis solvitur. Iphigeniae sacrificium igitur hic prorsus omissum est.

Sed hic semper ad arbitrium mutari poterat. Sic apud Ptolem. Hephaest. Westerm. mythogr. p. 193 narratum fuit, ex vaticinio Calchantis Iphigeniam Neptuno offerendam fuisse. Agamemnoni renuenti imperium ademptum et Palamedi traditum esse.[2]) Neptunus videlicet aptior videbatur, qui hoc sacrificium acciperet, cum Graeci faustum navigium expeterent.

Mirae ineptiae apud Tzetzem ad Lyc. 183 sq. obviam sunt. Sacrificium ipsum plane ad Euhemeri modum narratur. Nam hoc fere *τὸ ἀληθὲς τῆς ἱστορίας* fuit: *ἄρκτος ἢ ταῦρος ἢ γραῦς*[3]) *ἢ ἔλαφος διέδραμε μέσον τοῦ τῶν Ἑλλήνων στρατοῦ καὶ προσταγαῖς τοῦ μάντεως τὸ διελθὸν ἐκεῖνο ἀναιρεῖται. Ἰφιγένεια σωθεῖσα φεύγει πρὸς Σκυθίαν καὶ νηοπόλος Ἀρτέμιδος γίνεται καὶ ἀφῄρει πάντας τοὺς ἐκεῖσε τῶν Ἑλλήνων ἀφικνουμένους.* Similia apud eundem scriptorem Antehom. vs.

1) Ap. Dict. semper legitur „Clytemestra", quam formam in lingua latina meliorem esse, Fleckeisenus 50 Artikel etc. p. 13 docet.
2) Cf. Dict. Cret. cap. 19.
3) De hac mutatione cf. Wilamowitzium l. c. p. 260, 1.

191 sq. leguntur, nisi quod Aulis et terra Taurica hic in unum contracta videntur.[1])

Non omiserim, eadem fere ex Phavorino in violarium Eudociae translata esse.[2]) Ubi exemplum Iuliae Lupercae additum est, quo comprobetur, etiam miraculum Aulidense nihil miri habuisse: nam cum illa iam mactanda esset, aquilam gladio sacerdotis erepto cervam prope pascentem arae imposuisse.

Quae apud Westerm. Mythogr. gr. p. 387 N. LXXV *περὶ τῆς ἐν Ταύροις ξενοκτονίας* leguntur, maximam partem cum vulgata fabula concinunt. Iphigenia hic homicidia Taurica ipsa instituit. Orestes autem illuc delatus per eburneum humerum cognoscitur.[3])

A Ptolemaeo Hephaestione Westerm. mythogr. p. 189 narratum fuit, Menelaum et Helenam Orestem quaerentes ad Tauros venisse ibique ab Iphigenia in honorem Dianae mactatos esse. Ut Menelai errores tali modo cum Oreste confunderentur, haud minime per illa acerba vota effectum puto, quae Iphigenia apud Eurip. I. Taur. 348 sq. indicat.

Extremo loco historicos Byzantinos complectar.

Apud Malalam[4]) nostra quoque fabula scenice inducta fuit. Sic de sacrificio Aulidensi legimus: *ἔλαφος ἔκοψε τὴν ὁδὸν διαδραμοῦσα ἔμπροσθεν ἐν μέσῳ τῶν βασιλέων . . . . καὶ ἑωρακὼς αὐτὴν ὁ ἱερεὺς καὶ μάντις „Τὴν ἔλαφον πιάσαντες ἄξατε εἰς θυσίαν ἀντὶ τῆς παρθένου τῇ Ἀρτέμιδι“. καὶ ληφθεῖσα ἡ ἔλαφος ἐσφάγη τῇ Ἀρτέμιδι· τὴν δὲ Ἰφιγένειαν ἀποδέδωκε τῷ ἰδίῳ πατρὶ Ἀγαμέμνονι ἥντινα ὁ Ἀγαμέμνων εἴασεν ἐκεῖ ἐν τῷ ἱερῷ Ἀρτέμιδος ἱέρειαν.* Miro modo etiam in sequentibus Aulis cum terra Taurica confunditur. Nam Orestes et Pylades veniunt Aulida „*χώραν τῆς Σκυθίας*“. Nihilominus deinde

1) Cf. vs. 200 . . . *ἔθηκέ τε χώρῃ ἐκείνῃ*
Ἀρτέμιδος ἱέρειαν . . .
205 *τῆς ἱέρειαν ἔθεντο Πανέλληνες τὴν κούρην,*
τὴν δ' ἔλαφον ῥέζουσι παραΐξασαν ὁμίλῳ.
De Aulide plane in terram Tauricam translata infra apud historicos Byzantinos paucis videbimus. Huc etiam pertinet, quod Dict. c. 22 de Scytharum rege Aulide versante legimus. Quae res ita orta sit, ut Achilles iamdudum in Scythia collocatus paulatim cum rege Thoante confunderetur. Cf. etiam Eust. ad Dion. Per. 306.

2) p. 391 sq. Fl. cf. quae de hisce quaestionibus docuit Pulch. De Eud. qu. f. viol. p. 19—25.

3) Idem fere ap. Eudoc. 391 Fl.

4) ed. Dindf. p. 123 sq. et 136 sq.

usque ad fugam Graecorum omnia fere secundum Euripidem narrantur[1]. Iphigenia, ubi cum amicis Scythiam sine ulla difficultate reliquit, Dianae signum portans plurima loca orientis terrae vel usque in Palaestinam ad urbem Tricomiam pervagatur. Hic dum Orestem furiae agitant, Iphigenia deae suae cultum instituit temploque condito virginem mactat. In memoriam huius rei columna erigitur. Postquam Orestes ab insania liberatus est, Iphigenia dormiens a cerva monetur, ut fugiant. Sic in Syriam pervenitur, ubi Orestes apud montem Melanthium in flumine lustrationem accipit et paulo post ab incolis huius regionis multis honoribus excipitur. Inde mari in Graeciam profecti regnum paternum occupant. Sequuntur nuptiae Pyladis cum Electra.

Videmus elementa quaedam ex prioribus narrationibus somnii instar permixta esse. Sed talia in historia plurimarum fabularum cognosci possunt. Migrationes illae forte ex propiis legendis originem ceperunt (cf. pars I fin.). Tamen inprimis hic iam medium quod dicitur aevum sentimus, cuius fabulas tantopere terras externas quaerere inter omnes notum est.

Idem fere, si summam spectas, apud Ioannem Antiochenum[2] profertur. Inter discrepantias notaverim, quod Orestes prius quam in Scythiam pervenit, ad montem Σίλπιον „ἐν ᾧ νῦν Ἀντιόχεια κεῖται ἡ μεγάλη" advectus est. Ubi respiciendum, hunc scriptorem ex Antiochia oriundum fuisse.

Maximam partem ex Malala et Ioanne contexta sunt, quae apud Cedrenum[3] inveniuntur. Si Iphigenia fratrem suum hic per naevulum (ἐλαία) in dextro humero agnoscit, comparari potest, quod supra ex Westerm. mythogr. p. 387 allatum fuit.

Alia nimis aliena sponte omisi. Sed etiam sic apparere puto, quantopere haec fabula tum obscurata atque diffusa fuerit, donec nostra demum aetate a Goethio ad novam vitam excitata est.

---

1) Cf. de ea re Bentley Epist. ad Millium (ibid. p. 711).
2) Cf. FHG. IV 551. Ubi simul indicatum est, quibus aliis locis eadem narratio obviam fit.
3) ed. Bekker. I p. 219 sq. et 223 sq.

Thesen.

I. Aeschyl. Agam. vs. 266 verba „ἄπτερος φάτις“ cum Schneidewino sic intellego, ut somnio opposita sint.

II. Pers. Sat. VI 6 recentiorum codicum scriptura „egregius lusisse senes“ praeferenda est.

III. Num classis graeca ante Troiam captam ventis adversis aut deficientibus Aulide retenta sit, vel apud eosdem poetas tam parum constat, ut hinc nulla norma ad textum emendandum peti possit.

IV. Inter monumenta Iphigeniae fabulam exhibentia nullum invenitur, quin cum Euripide consociari possit.

V. Vocem Δημήτηρ ex Δείη-μήτηρ derivandam esse, quod Mannhardtius Myth. Forsch. p. 292 sq. protulit, maximam veri speciem habet.

VI. Analogiam in studiis mythicis ita adhibendam esse puto, ut quam maxime eiusdem populi fabulae respiciantur.

Vita.

Maximilianus Carolus Henricus Ernestus Jacobson natus sum anno LXV a. d. XIII Cal. Jan. in praedio, cui est nomen Gross Potauern, patre Ernesto, matre Anna e gente Rosenkranz, quos adhuc vivos colo. Fidei addictus sum evangelicae. Inde a vere anni LXXIV gymnasium Insterburgense frequentavi, donec vere anni LXXXIV testimonio maturitatis instructus sum. Quo facto me Regimontum contuli, ubi per hoc quadriennium studiis philologicis nec non archaeologicis operam dedi. Seminarii philologici sodalis inde ab aestate anni LXXXV fui, exercitationes archaeologicas frequentavi inde ab hieme anni LXXXV/VI; idem exercitationibus philosophicis interfui et scholas, quibus artificia mediae aetatis nostraeque tractantur, adire coepi. Examen rigorosum absolvi pridie Id. Maias.

Audivi hosce professores illustrissimos:

Baumgart, Dehio, Friedlaender, Hirschfeld, Jeep, Jordan †, Ludwich, Ruehl, Schade, Schoene, Schubert, Thiele, Walter.

Quibus omnibus, inprimis Friedlaendero, Hirschfeldio, Ludwichio, Waltero per totam vitam maximas gratias habebo.